1820
M

1820 M

HOROLOGIUM SAPIENTIAE

BEATI HENRICI SUSONIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

HOROLOGIUM SAPIENTIAE

ACCEDUNT

TRACTATUS ET NOTAE QUAEDAM DE THEOLOGIA MYSTICA

EX OPERIBUS

HENRICI DENIFLE O. P.

Edidit

CAROLUS RICHSTÄTTER S. I.





TAURINI (Italia)

Ex Officina MARIETTI anno 1820 condita

nunc MARII E. MARIETTI S. Sedis Apostolicae
et S. RR. Congr. necnon Archiep. Taurinensis Typographi

—

MCMXXIX

44770

BV
5080
S835
1929

Imprimi potest.

Coloniae, die 7 Martii 1928.

I. LAUER, S. I.
Praep. Prov. Germ. Inf. S. I.

V. Nihil obstat.

Taurini, 24 Ianuarii 1929.

P. ALOISIUS JANS, S. I., *Rev. Del.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

(8-IV-29)

PRAEFATIO EDITORIS

DE B. HENRICI SUSONIS SCRIPTIS ET VITA

Nullus de theologia spirituali liber tantopere saeculo XV legebatur quam b. Henrici Susonis Aeternae Sapientiae dialogus. Cuius codices manuscriptos saepius invenies quam aut s. Bernardi sermones aut quae s. Bonaventurae esse dicuntur opera, immo quam Thomae a Kempis Imitationem Christi.

Saeculo XVI codices Susonis Germanice scripti auctore Abbate Ludovico Blosio O. S. B. per Laurentium Surium Carthusianum in Latinum versi et a s. Petro Canisio laudati sunt. Solet hic Sanctus latinae catechismi editioni adiungere « Preces horarias de Aeterna Dei Sapientia, quae Henrico Susoni O. Pr. attribuuntur et omnibus litterarum studiosis commendantur cotidie recitandae ». Saeculo XVII Gasparus Druzbicki, qui in eximiis Societatis Iesu asceticis scriptoribus numeratur, b. Susonem in patronum specialem suscepit eiusque exemplo non solum Aeternae Sapientiae se desponsavit, sed etiam tractatum de moribus, amore, servitio Aeternae Sapientiae edidit.

Beatus Suso omnia opera Germanice scripsit. Libellum vero Aeternae Sapientiae multis rebus auctum nomine *Horologii Sapientiae* etiam latine edidit. Horologium, in re ascetica tam praeclarum, ex multis annis in librariis non iam invenitur. Ultima editio, quae servata codicum orthographia et variantibus additis soli usui scientifico destinata erat, a. 1861 auctore Iosepho Strange Coloniae prodiit. Iamvero libellum, cum nesciam, utrum melior unquam editio prodeat, nunc ut fini, cui scribebatur, reddam, denuo in lucem edo servato, quod Strange composuerat, textu. Hic enim textus semper censebatur omnium hucusque optimus et in operibus scientificis solus adhibebatur. Variantes omisi et textum ad eam, qua nunc utimur, orthographiam composui. Gratias ago confratribus Nic. Mangeot et Bern. Schultze, qui me in edendo textu haud parum adiuvabant.

Utebar in praefatione et annotationibus iis libris Susonis Germanice scriptis, quos P. Henricus Denifle O. Pr., de theologiae mysticae historia tam praeclare meritus, et Dr. Carolus Bihlmeyer, doctissimus universitatis Tubingensis professor, in publicum ediderunt (1).

*
* *

Beatus Henricus Suso sive Seuse inter annum 1295 et 1300 in civitate Konstanz aut prope hanc civitatem natus est. Cum annum decimum

---

(1) Heinrich Suso Denifle O. P., *Die deutschen Schriften des Seligen Heinrich Seuse* (München, 1880). — Karl Bihlmeyer, *Heinrich Seuse, Deutsche Schriften* (Stuttgart, 1907).

tertium ageret, in conventum patrum Ordinis Praedicatorum ingressus primis litterarum studiis se dedit. Quae ut perficeret, anno 1320 Coloniam missus est. Hac in civitate Magistro Eckardo familiariter utebatur. Quem etsi plurimum faciebat propter vitae sanctimoniam et praeclaram in re spirituali notitiam, tamen ab eius erroribus theologicis abhorrebat. Horum studiorum mentionem facit in primo et tertio capitulo libri secundi Horologii. Anno 1327 Constantium reversus praedicationibus habendis et confessionibus audiendis se totum impendit, dum in civitate Ulm, quo anno 1348 migraverat, die 25 Februarii 1366 mortuus est. Brevi post ob vitae sanctitatem in magna veneratione erat apud populum. Denique Gregorius Papa XVI anno 1831 cultum ratum habuit et festum beati Susonis Ordini Praedicatorum die 11 Martii celebrandum concessit.

Libellum Aeternae Sapientiae brevi post reditum ex civitate Colonia intra annum 1327-1328 Germanice conscripsit. Quem libellum, ut non solum a monialibus, sed etiam a clericis legeretur, multis rebus auctum et emendatum nomine *Horologii Sapientiae* Latino sermone edere paravit atque ut opus paene novum edidit anno 1334. Cur ei nomen Horologii dederit, ipso prologo dicit.

Neque ullum de theologia spirituali librum Latine scriptum inveneris, quo tantum argumentum oratione tam perfecta coniungatur. Dictio ipsa est facilis et multis figuris ornata et ut apud s. Bernardum verbis Sacrae Scripturae condita. Liturgiae studiosi haud paucas veluti textuum liturgicorum allusiones invenerint. Nulla fere est pagina, ex quo non cognoscas, scriptam esse

ab auctore cum tanto motu religioso, qui verbis vix dici possit. Quare facile intelligitur hunc librum exeunte medio aevo in plurimorum religiosorum manibus versatum, non solum in Germania et Belgio, sed etiam in Gallia, Italia, Hispania, Anglia passim sparsum, immo in linguas vernaculas versum esse.

DE B. SUSONIS, TAULERI, M. ECKARDI THEOLOGIA MYSTICA

Ex operibus P. Henrici Susonis Denifle O. P.

De theologia mystica strictiore sensu sumpta, quid senserint saeculo XIV in Germania mystici familiae s. Dominici, in multis libris et libellis periodicis praeclarissime exposuit P. Denifle O. Pr. Quare inter omnes, qui scripserunt de theologia mystica, non minus propter excellentem eruditionem quam propter eximium ingenii acumen princeps existimatur. Neque paucas sententias erroneas, quae passim verae tradebantur, exstinxit atque delevit. Dolemus autem multum, quod ea, quae doctissimus ille Dominicanus ex tot codicibus manuscriptis tanta gravitate scientifica exposuit, oblivioni paene data videmus. Ideo non parvo emolumento fore putamus graviores atque potiores auctoris sententias breviter hic exponere, quo facilius appareat, quid senserit b. Suso de quaestionibus fundamentalibus theologiae mysticae.

Imprimis P. Denifle variis locis ostendit, b. Susonem de rebus mysticis prorsus idem sentire quod Taulerus, gravissimus illum inter my-

sticos auctor atque Magister Eckardus, quo illi Coloniae moderatore spirituali utebantur. Iterum iterumque inculcat P. Denifle, doctrinam illorum trium magnorum mysticorum in sententiis fundamentalibus eandem fuisse, quam et magni theologi mystici Ordinis Carmelitarum et Societatis Iesu inde a saeculo XVII tradiderunt, neque ullo modo differre ab ea, quam Hugo et praecipue Richardus Victorinus primi fundaverant.

Quis est, qui nesciat praestantissimum illum librum Patris Denifle admiranda eruditione compositum, cui titulus est « Vita spiritualis, Florilegium mysticorum saeculi XIV »? Totus fere liber constat ex sententiis b. Susonis. Inter alia adiectae sunt sententiae Tauleri, Eckardi. In ipsa libri praefatione auctor ex illis viris mysticis demonstrat *viam ordinariam summopere differre a via mystica.*

« Unusquisque », inquit Denifle, « facile hoc libro convincitur, mysticos Germaniae viam ordinariam nullo modo, ut non raro docetur, viam mysticam intellexisse, cum haec aliquid extraordinarium sit, quod a solo Deo dari possit; immo viam ordinariam eam esse dixisse, quam Iesus Christus, divinus magister, omnibus hominibus praescripserit. Unde hic liber apologia mysticorum Germanorum vocari potest » (1).

Quaestiones varias, quae hodie ab auctoribus theologiae mysticae disputantur, iam ante quinquaginta annos P. Denifle ex iis, quae mystici theologi Dominicani in Germania saeculo XIV docebant, optime solvit.

« Taulerus », inquit Denifle, « ante omnia tam-

(1) Denifle O. P., *Das geistliche Leben*, Graz (1879), p. VIII.

quam principium fundamentale statuit: *non omnes vocatos esse ad contemplationem mysticam.* Ubi de iis tractat, qui elevantur ad summam cum Deo unionem, ibi quaerit: Licetne nobis orare, ut et nos iis adiungamur? Respondet: Nullo modo; nemini licet, cui hoc interne non permittitur. Nemo — optimum de hac re quaesivi consilium — nemo ex se audeat, id precibus a Deo impetrare. Ut enim solius Dei est hoc concedere, ita solius Dei est orantem ad hoc movere. Orare quidem licet Deum, ut nobis perfectam abnegationem et aversionem a creaturis et conversionem ad ipsum concedat » (1).

Haec Taulerus, cuius sententiam Denifle laudat et approbat: « Quam doctrinam », inquit, « etsi tam sobria est, tamen non omnes deinceps auctores mystici tam sobriam tradiderunt ». Denifle remittit ad ea, « quae optime exponit Suarez, *De religione* II, lib. 2, c. 14; Nicolaus a Iesu Maria, *Elucidatio* (Colon. 1710), p. 93 ».

Uberius exponit Denifle: « Quare Taulerus docet, contemplationem mysticam non sequi ex naturali indole, sed ex superinformatione, quam spiritus Dei spiritui creato ex libera caritate donaverit. Solere Taulerum docere exspectandum esse, quomodo, ad quid, quando quis a Domino vocatur, " unus ", ita Taulerus, " ad contemplationem internam, alter ad operationem internam, tertius super utrumque ad internam requiem caritatis in unione silentii, in unione spiritus, in caligine divina ". Qua vita altiore, cum e gratia extraordinaria pendeat, non omnes donantur atque qui donantur, iis datur ad tempus, prout Deus vult.

---

(1) Cfr. *Horologium Sapientiae,* lib. I, c. 9, pag. 94 ss.; c. 13, pag. 128 ss.

Atque ita et operatio interna et mystica contemplatio inter se excipiunt » (1).

Unde sequitur *contemplationem mysticam* non gradu tantum, sed *specie et essentialiter differre* a contemplatione ordinaria. In hanc sententiam Denifle explicat b. Susonis Libellum veritatis: « Si spiritus ad gradum contemplationis mysticae elevatur, amittit modum operandi ipsi naturalem. " Divina patitur " veteres dicunt. Divina experientia cognoscit, non tantum per discursum. Cfr. S. Thomam II-II, q. 45, a. 2 » (2).

« Quae in unione mystica cognoscuntur, imagines et formas, quibus alias cognoscere solemus, superant atque excedunt. Quare nemo de iis, quae mystice cognovit, nisi per imagines aut formas loqui potest, neque unquam hae imagines rebus mystice cognitis plane respondent. Gratia enim " intrandi in Deum " humano intellectui et ipsi animae hac gratia donatae mysterium est, de quo id solum dici potest esse gratiam immensam » (3).

« Anima, quae in ens infinitum accipitur atque intrat, et temporis et spatii sensum amittit. Ideo nescit, quamdiu duraverit. Videtur momentum fuisse, quamvis mille annos durare potest... Nescit, ut ait s. Teresia, in dulci excessu differentiam, quae est inter eam et Deum; nam a se ipsa abstracta et sui oblita in Deo se invenit (*Vita*, c. 34). Solet enim anima sui conscia fieri per reflexionem; haec autem desinit esse in eiusmodi momentis.

---

(1) Denifle O. P., *Das Buch von geistlicher Armuth* (Paderborn 1877), p. 26.

(2) Denifle, *Die deutschen Schriften des sel. Heinrich Seuse* (München 1880), 298.

(3) Denifle, *l. c.*, 538.

« Mystici, quamquam docent, animam non capere vel non intelligere illam differentiam, tamen dicere cavent non esse differentiam inter Deum et animam. Atque ratio, cur tam exaggerate loquantur, posita est in illa mysticorum de transformatione passiva doctrina. Quae veritas veluti centrum ac fundamentum theologiae mysticae censenda est atque omnes vere mystici de ea consentiunt. Lege, quid docent Sandaeus, *Theol. myst.*, comm. 6, exercit. 8; Philipp. a SS. Trinit., 3. p., tr. 3, disc. 3, a. 10; tr. 1, disc. 2, a. 3; disc. prooem., a. 6, n. 6; Anton. a Spir. S., *Direct.*, tr. 1, n. 93-96; Vallgornera, *Myst. Theol. D. Thomae*, Qu. prooem. a. 10, p. 23; Scaramelli, *Dirett. mist.*, tr. 3, c. 23-26; Schram, *Inst. Theol. myst.*, 1, § 322 » (1).

« Animae, quae a Deo mysticae unionis gratia donantur, cum in hac unione de actibus suis non reflectant, inertes sibi videntur, tamquam si sese passive gerant ac Deus se in ipsis cognoscat et amet » (2).

« Hanc unionem s. Ioannes a Cruce, cum eius effectum considerat, "puram in Deum immutationem" vocat (*Subida al monte Carmelo*, I, 5). Anima igitur, ut mystici Germaniae dicunt, "deificatur", ex modo humano transfertur in modum divinum, ita Taulerus, et alii: iam non ut homo agit, operatio eius, ut ait S. Thomas (3, dist. 34, q. 1, a. 1), "non humana simpliciter, sed quodammodo divina est". Anima operatur opera Dei » (3).

Unde apparet, cur « et b. Suso et Taulerus et

---

(1) Denifle, *l. c.*, 540.
(2) Denifle, *l. c.*, 545.
(3) Denifle, *l. c.*, 540.

M. Eckardus *mysticam elevationem* aliquid *extraordinarium, gratiam specialem* esse dicant » (1).

Ad contemplationem mysticam requiritur gratia specialis, quia anima *psychologice omnino aliter se habet* atque in oratione vel contemplatione communi. Duplicem operationem distingui oportere in anima, dicit Germanus quidam mysticus ignotus, alteram in qua ope gratia ordinaria ipse intellectus, alteram, in qua ope gratia extraordinaria intima anima seu intimum ipsius animae operatur. Atque prior operatio ope intellectus agentis in oratione vel contemplatione communi habetur, posterior autem in « opere divino » contemplationis mysticae, « ubi intellectus omnibus imaginibus creaturarum exuitur, ita ut amotis imaginibus creatis ipse Deus in anima pro intellectu agente operatur » (2).

Sapienter hic adnotat Denifle: « Subest hic illa scholastica de intellectu agente et contemplatione pura doctrina. Si enim contemplatio sine imaginibus phantasiae possibilis est, et si intellectus agentis est lucis instar phantasmata illuminare et intelligibile eorum spiritui ad cognoscendum exhibere, tunc tempore contemplationis purae intellectus agens quiescit et sine eius operatione spiritui, ut docet s. Ioannes a Cruce, cognitio essentialis absque imaginibus tribuitur. De Contemplatione pura cfr.: Sandaeum S. I., *Theol. myst.*, 144 ss. » (3).

« In summa unione mystica Deus operatur opera animae, qua tamquam suo instrumento utitur. Quare Taulerus docet, Deum hominem

---

(1) Denifle, *l. c.*, 290.
(2) Denifle, *Buch von geistlicher Armuth* (München 1877) 167 s.
(3) Denifle, *l. c.*, 211.

ex humano modo trahere in divinum modum. Ex mente s. Thomae (3, dist. 34, q. 1, a. 1) dicere licet: "Si ea, quae hominis sunt, supra humanum modum quis exsequatur, erit operatio humana non simpliciter, sed quodammodo divina". Iam Massoulié de illo statu mystico docet: "Voluntas magis agitur quam agit, et ita agitur, ut solus Deus omnia in voluntate operari videatur etc." (1). Quare mystici dicunt "spiritum intelligendo non intelligentem, amando fieri non amantem". Quod Iosephus a S. Spiritu ita explicat: "Anima intelligit *non* intelligendo *iuxta modum sibi connaturalem* intellectione non laboriosa nec reflexiva" (2). "Unde", ait Liberius a Iesu, "anima non videtur intelligere et amare" (3). Etiam clarius exponit Thomas Vercellensis: "Ibi quippe anima ob nimium visionis excessum ita absorbetur, ut nihil sentiat se amare, nihil percipiat se videre, super intellectum amans et videns"» (4).

Non desinit Denifle dicere et urgere mysticos Germaniae saec. XIV eandem prorsus doctrinam tradere atque priorum saeculorum doctores: «Nonne», ait, «etiam s. Bernardum *distinguit contemplationem acquisitam a contemplatione infusa?*».

... « Ignorat (Preger acatholicus) distinctionem inter contemplationem acquisitam et infusam. Nec mirum; sequitur enim ea, quae rationalistae sentiunt atque profitentur» (5).

---

(1) *Divus Thomas sui interpres* (ed. Rom. 1693), II, 308.

(2) *Iosephus a S. Spiritu*, Opp. III, 552, n. 28.

(3) *Controv. scholastico-polemico-historico-criticarum I* (Mediolani 1743), 644.

(4) *In Cant.*, Pez, *Thesaurus*, II, 665. — Denifle, *l. c.*, 211.

(5) Denifle, *Eine Geschichte der deutschen Mystik, Historisch-Politische Blätter*, t. 75 (1875), 786, 781.

« Notum est omnibus fere verbis et locutionibus, quibus mystici Germanici ad explicandam ac describendam contemplationem mysticam infusam utebantur, usum fuisse multo antea Richardum Victorinum. "Acumen mentis" invenitur iam apud Hugonem Victorinum (1); apud Richardum Victorinum: "Intimum et summum mentis, sancta sanctorum, intimus mentis sinus". In hunc sinum nullam imaginem phantasiae intrare, dicit Richardus; ideo deficit sensus temporis et spatii. Quid est ille fundus animae apud Richardum, quid apud reliquos mysticos, qui lingua latina usi sunt, quid apud posteriores mysticos? Num casu accidit, quod ad unum omnes de eo loquuntur, non solum in Hispania et Italia, sed etiam in Gallia et Germania? S. Teresia vocat fundum animae spiritum animae, *el espiritu de esta alma;* plerumque centrum animae, *centro de nuestra alma;* hoc esse aliquid non minus difficile ad describendum quam ad credendum » (2).

« Si quis negat Richardum summi momenti ad excolendam in Germania theoriam et vitam mysticam fuisse, sciat, totam doctrinam mysticam Richardi sententiis mysticorum Germanorum reddi posse. Atque dicta exemplis stabiliam:

« Richardus: In humano proculdubio animo idem est summum quod intimum, et intimum, quod summum (3). Fit demum, ut mens a seipsa penitus deficiat et... tota supra semetipsam eat. Et sicut matutina lux crescendo desinit... ita humana intelligentia modo mirabili... efficitur

(1) Hugo Victor., *De contempl.*, 4, c. 23; 5, c. 2.
(2) Denifle, *l. c.*, 785.
(3) Rich. Victor., *De contempl.*, IV, c. 23.

plus quam humana (1). Omne, quod humanitus moveri solet, motum omnem amittit, omnis qui tunc est motus divinitus fit et in Deum transit... Spiritus ab anima scinditur ut Domino uniatur... et in eandem imaginem transformatur » (2).

Tandem Denifle, quemadmodum summa eruditione ac notitia, qua demonstrat, quantopere a Victorinis mystici familiae s. Dominici in Germania profecti sint ac dependeant, ita etiam exponit eandem eos tradere doctrinam, quam doctores mystici saeculi XVI et XVII. Praeter opera supra laudata s. Teresiae, s. Ioannis a Cruce, Suaresii S. I., Sandaei S. I., laudat Iosephum a S. Spiritu, Philippum a SS. Trinitate, Thomam a Iesu ex Ordine Carmelitarum, Vallgornera ex Ordine Praedicatorum, ex Societate Iesu Alvarez de Paz (3).

Neque solum inter eos eandem fuisse doctrinam affirmat Denifle, sed inde a saeculo XII usque ad saeculum XVII in omnibus quaestionibus fundamentalibus eandem doctrinam traditum fuisse magnorum auctorum theologiae mysticae.

Quam doctrinam etiam P. Poulain S. I. triginta annis post doctissimum Denifle tradidisse neminem fugit, qui haud ignarus sit rei mysticae, tanto animorum studio ac contentione agitatae (4).

Neque aegre concedimus ut nostris diebus ita etiam temporibus medii aevi alios aliud de re

---

(1) *l. c.*, V, c. 9.

(2) *De exterm. mal.*, c. 18. Cfr. *Annot. in Ps.* 113. — Denifle, *l. c.*, 785 s.

(3) Denifle, *l. c.*, 972 s.

(4) Cfr. C. Richstätter S. I., *Mystische Gebetsgnaden und Ignatianische Exerzitien* (Innsbruck 1924). — *Katholische Mystik* (Herder, Freiburg 1928).

mystica sensisse ac scripsisse, praesertim cum tanta tunc fuerit auctoritas Pseudo-Dionysii Areopagitae. Hunc autem fuisse Severum Antiochenum atque caput et principem sectae cuiusdam Monophysitarum hodie constat (1). Scripsit ineunte saeculo VI atque scriptis suis ideas ethnicas mysticismi Platonici immiscuit (2).

Vehementer autem errat Saudreau, qui ad confirmandam suam de re mystica sententiam ad s. Teresiam provocat et ad b. Susonem propter illum de novem rupibus libellum, cuius auctorem Beatum esse putabat, etsi auctorem fuisse Rulmannum Merswin mercatorem, falsi mysticismi sectatorem, iam anno 1859 a Carolo Schmidt scientifice probatum est. Quem libellum Denifle in exordio operum b. Susonis spurium vocat atque addit neminem nunc iam tantopere errare posse, « ut coniungat Susonis nomen cum libello, quem si scripsisset, honorem ipsi non tribuisset » (3).

Doctorem Angelicum, cuius theologiam spiritualem et mysticam b. Suso proxime sequebatur, Denifle recte disciplinae mysticae principem ac ducem celebrat: « Nam omnes fere », ait, « quaestiones mysticas tam perfecte absoluteque expedivit s. Thomas in Summa Theologiae II-II, q. 179-189, ut ipse ab auctoribus posterioribus princeps, ipsius autem de re mystica doctrina veluti criterium haberetur, quo falsa rei mysticae doctrina a recta distinguatur ».

---

(1) Cfr. Jos. Stiglmayr S. I., *Der sogenannte Dionysius Areopagita und Severus von Antiochien*, Scholastik t. 2 (1928), 1ss.

(2) Cfr. C. Richstätter S. I., *Der Vater der christlichen Mystik und sein verhängnisvoller Einfluss.* Stimmen der Zeit, tom. 114 (1928), 241-259.

(3) Denifle, *Schriften Seuses*, 12.

*
* *

His praemissis, ipsum b. Susonem, auctorem *Horologii Sapientiae*, induco loquentem non alium profitens me prosequi finem, quam beatus auctor sibi proposuit, « qui in praesenti opere modernis temporibus mundo iam senescente intendit principaliter non quidem informare nescientes, sed reaccendere exstinctos, frigidos inflammare, movere tepidos, indevotos ad devotionem provocare, ac somno negligentiae torpentes ad virtutum vigilantiam excitare ».

Bonifatiushaus, Emmerich, Germania, in festo S. Thomae Aquinatis anno 1928.

CAROLUS RICHSTÄTTER S. I.

PROLOGUS

Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum (1). Multifarie multisque modis olim in primitiva Ecclesia electis suis divina Sapientia apparuit mentesque eorum suo lumine illustravit, qui spiritu ferventes, Domino servientes erant *in sanctitate et iustitia coram ipso* (2). Miserat tunc namque Deus *ignem de excelso in ossibus eorum* (3), et facta sunt corda ardore caritatis aestuantia vehementer. Diffundebatur autem flamma exterius lucentium operum et efficacium exemplorum. Siquidem in bonitate et cordis simplicitate Dominum quaerentes, negotiorum saecularium nulla erat eis recordatio; sed peccata plangere, divinis intendere, se intra se continere, *corpus suum servituti subicere* (4), solique

(1) Sap. 1, 1.
(2) Luc. 1, 75.
(3) Thren. 1, 13.
(4) 1 Cor. 9, 27.

aeternae sapientiae iugiter adhaerere, sollicitudo et intentio tota fuit.

Sed heu, modernis temporibus mundo iam senescente, hic amor divinus in multorum cordibus tantum refriguit, ut paene sit exstinctus, et pauci inveniantur qui devotioni studeant, qui novam gratiam se calefacientem quaerant, qui imbre lacrimarum austro flante se crebrius perfundi gaudeant, qui visitationis divinae et allocutionis supernae gratiam quaerant; sed studio vanitatis et *genealogiis interminatis* ac deliciis corporalibus *intendentes* (1), letali quodam sopore ligati tenentur. At vero divina sapientia, de salute cunctorum sollicita, haec mala electos suos emendare semper cupiens, in praesenti opere intendit principaliter non quidem informare nescientes, eo quod iam repleta sit terra scientia Domini, sed reaccendere exstinctos, frigidos inflammare, movere tepidos, indevotos ad devotionem provocare, ac somno negligentiae torpentes ad virtutum vigilantiam excitare.

Unde et praesens opusculum in visione quadam sub cuiusdam horologii pulcherrimi, rosis speciosissimis decorati, et cymbalorum benesonantium et suavem ac caelestem sonum reddentium, cunctorumque corda sursum moventium varietate perornati figura, dignata est ostendere clementia Salvatoris. Obsecro autem devotos lectores, ut sermo imperitus et incultus, etiam si barbarum aliquid fortassis sonare videatur, non displiceat. Non multum etenim curo vitia incurrere artium sermocinalium, dummodo vitia animorum eo commodius possem fervida locutione corrigere et emendare. Veritates quidem patrum, vel ea quae comperta sunt certissima attestatione rerum, secundum Sacrae Scrip-

(1) 1 Tim. 1, 4.

turae sensum prout accepi a Domino simplici stilo posui, extra eas ex proposito nihil dicendo. Verum quoniam eaedem materiae dudum a multis subtiliter et luculenter declaratae sunt, et paene ex frequenti usu iamiam plerisque in fastidium vertuntur: ideo non fuit opus ad singula quaeque auctoritates adducere; nam ex hoc consonantia motiva huius voluminis utique intercepta fuisset.

Notandum quoque quod locutio ista quantum ad interrogationem discipuli et responsionem sapientiae, vel e converso, solum posita est ad ferventiorem modum tradendi; nec est taliter accipiendum, quasi discipulus fuerit ille talis, de quo sapientia in persona propria solum intenderit, vel qui sapientiam solus prae ceteris tantum amaverit, vel cui sapientia tot et tanta fecerit, sed revera pro quolibet in genere dictum habeatur. Siquidem per modum doctoris nunc loquitur in persona hominis perfecti, deinde in persona imperfecti; nunc in persona alicuius qui affectuose Christum diligit, et in fide atque dilectione eum sibi desponsat, deinde in persona peccatoris qui Deum pro suis excessibus flebiliter exorat. Et sic diversimode stilum vertit secundum quod tunc materiae congruit. Nunc etiam Dei filium ut devotae animae sponsum inducit; postea eundem tamquam aeternam sapientiam viro iusto desponsatam introducit. Visiones quoque in sequentibus contentae, non sunt omnes accipiendae secundum litteram, licet multae ad litteram contigerint, sed est figurata locutio, sicut et in libro regum legimus de Nathan propheta, qui missus a Domino ad regem David parabolice sub figura divitis et peregrini, iudicium ab eo exegit contra seipsum propter peccatum quod in servum suum commiserat (1). Et

(1) 2 Reg. 12.

de muliere Thecuita sapiente, quae ad regem intrans in persona aliena, videlicet duorum filiorum suorum, animum regis ad clementiam flectebat (1). Angelus quoque ad Tobiam missus, et ab eo quaesitus, quis esset, respondit se Ananiam Azariae magni filium esse (2). Quae omnia non quidem ad litteram, sed secundum sua signata vera fuerunt. Sic et praedicator egregius apostolus Paulus, discipulorum suorum personam induerat, cum eos culpando dicebat: *Ego sum quidem Pauli, ego autem Apollo; nonne homines estis?* Et paulo post: *Haec*, inquit, *fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis* (3). Porro huius figuratae locutionis occulta mysteria diligens lector faciliter poterit advertere, si tamen sollertem curam studuerit adhibere.

Oro autem et supplico bonitatem eius immensam, qui me hunc laborem suo ex amore subire coëgit, de ipsius pietate confidens, ut quia facultatem meam negotium hoc excedere cognoscit, ipse defectum meum in cordibus piorum haec legere volentium suppleat, hoc modo, ut omnis qui praesens opusculum cum sincera intentione perlegerit vel audierit, haustum alicuius devotionis vel aliquam novam divinitus collatam sibi gratiam inde reportare mereatur. Ad hoc autem et ex parte legentis requiritur, ut totum istud studiose curet perlegere, et non raptim nunc hoc, nunc illud quasi coniecturando nitatur degustare.

Sane imperfectum meum tam scientiae quam vitae recognoscens, vobis patri filiorum amabili Hugoni (4) magistro Ordinis Praedicatorum vene-

---

(1) 2 Reg. 14.
(2) Tob. 5, 18.
(3) 1 Cor. 3, 4; 4, 6.
(4) Hugo de Vaucemain Antissiodorensis Ordinem Praedicatorum rexit 1336-1341.

rabili hoc opus transmittere curavi, qui et auctoritate ceteros praecellitis, et honore magisterii theologicae scientiae polletis, et quod his maius est, lumine quoque aeternae sapientiae ac donis spiritualibus praeditus estis, ut litterae vestrae exhortatoriae satis declarant, in quibus filios dilectos admonitione paterna ad pacem et fraternam caritatem, ad disciplinae rigorem et fervorem devotionis, ad conformitatem Christi Iesu, ac omnium virtutum perfectionem tanta sollicitudine excitatis. Nec his contentus, sed de multorum quoque salute sollicitus, miseros quosque huius mundi sectatores, ut hunc mundum fugitivum ac fallacem deserant, et ad veram ac aeternam sapientiam veniant, invitari verbo et exemplo per eosdem procuratis. Vos ergo, Pater Reverendissime, manum peritam apponite, et gustu interno prout in talibus oportet discernite, si quid plus vel si quid minus, et quod divina sapientia inspiraverit pro gloria sua et utilitate proximorum faciatis. Mihi quoque, omnium filiorum vestrorum Deum amantium vilissimo, veniam de defectibus hic repertis concedatis; nec praesumptioni factum hoc ascribite, sed Dei aemulationi, immo supernae inspirationi, quae, ut testis est mihi Deus, me die noctuque quiescere non permisit, donec eius coactioni acquievi; sed utrum bene, vos probate, qui *unctionem a Sancto habetis* (1).

Sciendum quod colloquium istud inter sapientiam et discipulum hoc modo initium et occasionem habuit. Nam dum quadam vice post matutinas idem discipulus similitudinem processionis illius amarissimae, quam Christus condemnatus fecit, dum ad locum passionis educeretur, more solito explevisset, et in ambone ante crucifixum staret, animoque do-

(1) 1 Ioan. 2, 20.

lenti conquereretur crucifixo, quod affectum tam fervidum ad suam passionem, prout dignum esset, non haberet, sed nec hactenus habuisset: statim quasi in extasi positus, lumine quodam caelesti illustratur, et eius mentalibus oculis centum meditationes seu considerationes suae passionis ostenduntur. Sibique dicitur, quod omni die debeat has centum materias cum centum veniis (1) devota meditatione transcurrere, et totidem petitiones adiungere, ac se Christo passo, spiritualiter quantum possibile est, in eisdem conformare. Quas tamen hic causa brevitatis explicite ponere omisi, sed devotis personis, doctis et indoctis, in nostro vulgari videlicet theutonico fideliter communicavi. Igitur discipulus, qui ante fuerat affectu compassionis durus, coepit per continuum eiusdem meditationis usum ad tantae memoriam passionis mollescere et diversas eo modo, prout in sequentibus apparebit, illuminationes habere. Dum autem praedicta prout edoctus fuerat scribere inchoasset, et examinatrix bonorum adversitas eum a coeptis retrahere tentaret, Christus ei in visione astitit in ea forma, quasi iam de columna, in qua flagellatus fuit, descendens, et sua vulnera recentia ac cruentata eum contrectare permittens, adversitatis ipsius vulnera sanavit, et ad perficiendum inchoata animavit.

Notandum quoque, quod originale huius operis certis temporibus et nonnisi in praesentia magnae gratiae conscriptum fuit. Non enim praedictus discipulus, nomine et persona in hoc opere ignotus, videbatur ibidem habere modum agentis vel dictantis, sed modum quendam divina patientis. Nam cum omnino nesciret, quid scribere deberet, per revelationes spirituales habuit, et quando scribere debuit,

---

(1) i. e. prosternationibus.

et paene singulas materias quas scripsit. Porro extra hoc tempus si quid quasi ex se dictasse, vel aliunde collegisse, aut etiam excerpsisse voluisset et praedictis apposuisse: tam insipidum reddebatur et ineptum fiebat, ut si quis sapores aut colores contrarios in unum compingere niteretur. Et cum ea, quae data erant, ad tabulam concepisset, ad se reversus studiose rimatus est, ut nihil in his esset, quod a dictis Sanctorum Patrum discreparet, sed hoc, quod divina tradente sapientia sibi per spiritualem illustrationem infundebatur, auctoritate *Sacrae Scripturae divinitus* sanctis *inspiratae* (1) fulciretur, cum idem in sensu, aut etiam idem in verbis et sensu, vel certe simile reperiretur esse. Post completum vero huius operis laborem, dum timore quodam humano teneretur, ne ab aemulis, qui nunc quoque sicut olim invidia stimulante, facta quaeque, licet bona, depravare aut penitus annullare non desistunt, divina charismata appellantes superstitiosa figmenta, et sanctas revelationes phantasticas deceptiones, Sanctorumque gesta Patrum esse dicunt narratorium fabulosum, tamquam homines qui non gustaverunt ea, quae sunt Spiritus Sancti (2); ipsi vero suas solummodo adinventiones topicas vel propositiones dubias sequuntur tamquam demonstrationes certas. Et licet in praedictis diligens cautela sit adhibenda, non tamen spernenda sunt usquequaque. Timens ergo ne istud quoque similiter pium opus eorum dentibus dilaceraretur, cogitavit ipsum

---

(1) 2 Tim. 3, 16.

(2) S. Bernardus, sermo 79 *in Cant.* n. 1: Omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim graece loquentem non intelligit, qui graecum non novit, nec latine loquentem qui latinus non est, et ita de ceteris, sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, eritque sicut aes sonans et cymbalum tinniens.

occultare aut etiam penitus supprimere. Quod ne fieret divina sapientia per apertissima signa et pulchras revelationes omnino prohibuit. Sed et Beata Virgo cum Filio suo cuidam personae apparens, haec eadem omnibus Deum diligentibus communicari praecepit.

LIBER PRIMUS

Materia primi huius libri est Christi passio pretiosissima, quae de se ad amorem fervidum multum est motiva; et qualiter verus sapientiae discipulus in suis actibus se eidem debet conformare. His interseruntur quaedam materiae communes et motivae ad propositum pertinentes.

Capitulum Primum.

Qualiter quidam electi et divina gratia praeventi ad Deum mirabiliter trahuntur, et specialiter quomodo quidam iuvenis fuit tractus.

Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea, et quaesivi mihi sponsam assumere (1). Erat quidam iuvenis, Deo notus, qui dum in primaevae iuventutis flore saeculi vanitatibus implicari coepisset, et per labentia mundi oblectamenta deflueret, atque in

(1) Sap. 8, 2.

regionem dissimilitudinis (1) a statu propriae salutis oberrare vellet, divina miserante clementia, modo quodam ineffabili illustratur, et per blanda pariter et aspera tractus, tandem ad semitas veritatis per amorem sapientiae mirabiliter reducitur. Cum enim iuvenis praefatus adhuc puerulus et novitius, necdum amori aptus, quadam vice ad legendum in biblia se contulisset: occurrerunt inter alia quaedam verba ad amorem sapientiae invitantia. Quibus valde delectatus, ceteris omnibus praetermissis, ad schedulam quandam, prout melius potuit, puer ingeniosus praedicta verba transcripsit. Post haec dum frequentius lectioni mensae interesset, audivit ibidem qualiter divina sapientia velut delicata sponsa et dilecta amica se omnibus exhibet ad amandum. Cumque processu temporis aliquantulum crevisset, coepit habere cor valde amorosum; sed quo vel ad quem finem hunc amorem flecteret, quidve amor esset, nondum sciebat. Igitur dum crebrius praeconium tantae sponsae divinae sapientiae audiret legere dicentis: *Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari* (2). *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria* (3). *Lignum vitae est his, qui apprehenderint eam, et qui tenuerit illam beatus* (4). *Ne dimittas eam, et custodiet te; dilige eam, et servabit te* (5). *Arripe illam, et exaltabit te; glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus* (6). *Dic sapientiae: Soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam* (7). Ex his animus puerilis motus, coepit

---

(1) S. Augustinus, *Confession.* VII, 10: Inveni longe me esse a te in regione dissimilitudinis.

(2) Prov. 8, 11.
(3) Prov. 3, 16.
(4) Prov. 3, 18.
(5) Prov. 4, 6.
(6) Prov. 4, 8.
(7) Prov. 7, 4.

gratiam concipere ad hanc divinam sponsam, et eam diligere vehementer. Eius autem dilectio adhuc puerilis erat, quia praedicta spiritualiter prout oportuit intelligere nequibat; nec tamen in hoc amore quidquam materiale aut impurum intendebat, sed in quendam modum abstractivum dulciter amorosum, non pure divinum nec plene humanum haec omnia trahebat. Et hac dilectione miro et ineffabili modo divinitus perfundebatur, et trahebatur quodam dulcissimo sapore et gustu interno.

Coepit autem cogitare hic iuvenis apud se dicens: O quam multa bona audio de hac praeclarissima sponsa. Igitur quare dissimulas? Quamobrem non probas, utrum eam tibi amicam habere valeas? O quam beatus esses, si hanc in sponsam habere posses. Iuvenis quippe es, et amori aptus, et nequaquam cor tam vividum poterit esse solitarium et amore privatum. Altera quoque die, cum lector mensae libros sapientiales legeret, audivit commendari sapientiam in hunc modum: *Sapientia speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum; luci comparata, invenitur prior* (1). *Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea, et quaesivi mihi sponsam assumere, et amator factus sum formae illius. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores. Habebo per hanc immortalitatem, et memoriam aeternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, neque taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium. In amicitia illius delectatio bona* (2). *Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus; Dominus enim erit in latere tuo et custodiet te* (3). His itaque auditis,

---

(1) Sap. 7, 29.
(2) Sap. 8, 2, 10, 13, 16, 18.
(3) Prov. 3, 24, 26.

iuvenis aestuare coepit eius in amore, dicebatque intra se: Certe si omnes terras lustraveris, huic similem in gratiis non poteris invenire.

Factum est autem ut incentor malorum humani generis inimicus, profectui eius invidens, cogitationes his contrarias immitteret dicens: O stulte, vis amare incognitum, vis desponsare invisum? *Melior est pugillus in possessione, quam utraque manus plena in sola exspectatione* (1). Etenim qui in excelsis rupibus domicilium sibi collocant, et in amicitia sua nimis alte nidificant: saepius spe quam re exsultant, quia ventum in horreum suum pro pastu congregant. Nonne melius esset de lignea testa bibere ad sufficientiam, quam de scypho aureo sustinere potus inopiam? Siquidem haec sponsa per omnia amabilis esset, si delicias corporales non prohiberet, si ad libitum convivari et epulari permitteret. Nunc autem ita est, ut omnia quae sunt corpori delectabilia, eius doctrinae videantur esse contraria. Ipsa namque dicit: *Qui amat vinum et pinguia, non erit sapiens.* Itemque: *Paululum dormies et paululum dormitabis, et paululum conseres manus* (2). Animadverte nunc, si est super terram sponsa tam crudelis, quae hoc faciat, ut tot durissimas leges suis amatoribus imponat. Ad haec et similia cogitationum tentamenta quidam internus sapientiae gustus sic respondebat: O amande adolescens, respice amoroso corde, quod omnium amantium proprium est, ob amoris gratiam adversa sustinere; quia in litore quot conchae, tot sunt in amore dolores. Si ergo ita est, nonne iustissimum est, ut et ille amator, qui tam sublimem tamque decoram ac omnibus gratiis incomparabiliter perornatam, sibi privilegio speciali vendicat sponsam, aliqua adversa patiatur? Immo

(1) Eccle. 4, 6. (2) Prov. 21, 17; 6, 10.

certe incomparabiliter eo plura ex animo sustinere debet, quanto obiectum magis delicatum ' laboris sui praemium habet. Revolve nunc innumera et stupenda quae legisti et audivisti, quae proh pudor huius mundi amatores ex amore vanissimo sustinuerunt. Nonne ingemiscebas, cum ad notitiam tuam pervenit iuvenem quendam tibi notum in tantum fuisse fascinatum, ut ob amorem unius puellae ferrum quoddam carni suae infixum portaret? O stupenda virtus amoris! O quot sunt et fuerunt, qui et res et corpus et honorem ac animam immortalem discrimini dederunt, et periculis innumeris se exposuerunt, amore ligati vel potius excaecati! *Et illi quidem, ut corruptibilem* et brevem *mercedem reciperent, tu autem incorruptam* (1). *Audi, fili mi, et accipe consilium intellectus, et ne abicias consilium meum. Inice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subice humerum tuum et porta illam, et ne acedieris in vinculis eius. In novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem; et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriae. Decor enim vitae est in illa, et vincula illius alligatio salutaris. Stolam gloriae indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi* (2). Modicum laborabis, et invenies tibi multam requiem. *Vinum et musica laetificant cor, et super utrumque dilectio sapientiae* (3). Nullius igitur persuasione desiste, sed procede, et te in amicitiam illius sponsae ex corde coniunge. Talibus igitur et similibus recreatus consolationibus, in sancto proposito confirmabatur. Quadam vice, cum subtilissimis argumentationibus ad amorem mundi et Dei desertionem urgeretur, cor

(1) 1 Cor. 9, 25.
(2) Eccli. 6, 24-26, 29-32.
(3) Eccli. 40, 20.

eius amoris impatiens, semetipsum coram Deo effundebat, et talia querula voce praestabat: O felix amator, qui de prope invenit, ubi suus amor quiescat! Nam si quis amat quod amare iuvat, feliciter ardet.

Sed proh dolor me infelicem, qui fructu amoris ac mercede desiderata careo, dum per cuncta mundi climata tanto cordis amori correspondentem non invenio. Dedi consilium animo inquieto, ut ab amore desisteret, et se ad sectam Epicureorum transferret, quietem carnis amaret. Ecce, inquit, quam feliciter nunc temporis arietes pingues et oves pascuales in pratis virentibus et pascuis uberrimis pascuntur, dicentes non quidem verbo, sed facto demonstrantes quod gaudia sint stomachi super omnia gaudia mundi. Tu autem cum amore tuo macie attenuaris per singulos dies, dum quod quaeris non invenis, nec de inventis contentaris. Audi igitur consilium sapientis: *Sufficiat*, inquit, *tibi lac caprarum in usus ancillarum tuarum* (1). Et item: *Melius est videre, quod cupias, quam desiderare, quod nescias* (2). Vel si tibi magis placet amare, et amore tuo sidereas affectas tangere sedes, saltem hoc facias, ut tibi nihilominus hinc inde provideas, quibus per amorem te coniungas, quae taedium depellant, et cordi gaudia conferant. Ecce quot amatores hoc tempore reperiuntur, qui et divina petunt, et transitoria per amorem non deserunt, volentes a te diligi, et tamen nolentes ab amore carnali separari. Vade ergo et tu fac similiter. Haec, inquam, discipulus intra se latenter et quasi furtive pertractans, a summa sapientia tale in se intellexit responsum: Errat valde, qui celebres epulones antiquae sectae dudum reprobatae novos sectatores, qui *curam carnis in desiderio* peragunt (3) dum cotidie splendide vivunt, arbi-

(1) Prov. 27, 27. (2) Eccle. 6, 9. (3) Rom. 13, 14.

tratur felicitate gaudere; nisi forte pecorum felicitate glorientur, qui pecoribus dissimiles non sunt. At vero hominis rationalis mens generosa, cognitione et amore sursum elevata, illic longe altius perfectiusque felicitatur, ubi suo amato contemplatione et amore perfecte coniungitur. Nec obstat, si hoc, quod desideratur, interdum parcius conceditur, quia modicum de balsamo pretiosius est, quam multum de aceto. *Melior est* enim *racemus* Ephraim *vindemiis Abiezer* (1). Porro nimium delirat, qui amori divino sociam sociare desiderat. En duo amores terreni se in unum non compatiuntur: quomodo ergo caelestis amor cum terreno sociabitur? Prorsus impossibilia attentat, qui tantam maiestatem cum vilitate tanta copulare se putat. Talium igitur cogitationum diversa certamina animus praedicti iuvenis longo tempore sustinuit, et nunc huc, nunc illuc, animus flexibilis movebatur.

Dum haec agerentur, accidit, ut haec vel similia iterum legerentur: *Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa* (2). E contrario autem de sponsa divina: *Ego*, inquit, *quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae. Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam; et quasi balsamum non mixtum odor meus* (3). *Qui me invenerit, inveniet pacem et hauriet salutem a Domino* (4). His auditis, iuvenis quodam interno clamore quasi prae nimio affectu rugiendo dicebat: Verum est, verum est, nec est aliud, quod verius dici possit. Ex nunc fixum est, deliberatum apud me est. Ego certe meipsum morti exponam,

(1) Iud. 8, 2.
(2) Eccle. 7, 27.
(3) Eccli. 24, 21-22.
(4) Prov. 8, 35.

ut hanc mihi in amicam et sponsam acquiram. Ipsa sponsa, et ego eius servulus; ipsa magistra, et ego eius discipulus. O si hanc praedilectam sponsam alloqui mihi liceret; utinam sola vice daretur ipsam videre! Ah, Deus aeterne, quae vel qualis est ista, de qua audio talia?

Cumque vehementer haec scire cuperet et prae desiderio aestuaret: ecce agnitio quaedam ineffabilis affuit, in qua sibi haec sponsa taliter manifestata fuit. Eximii namque ac miri decoris thronus eburneus in columna nubis apparuit, in qua praedicta sponsa nimium formosa refulsit, in vestitu deaurato circumamicta varietate. Eius corona fuit aeternitas, amictus iucunda felicitas, verba eius dulcis suavitas, amplexus omnis boni perfecta satietas. Cumque discipulus familiariter eam alloqui vellet, satis prope esse videbatur; paulo post remotissime distare cernebatur. Iam supra convexum caeli supremi statura sua pertingebat; nunc minima quantitate apparebat; et in se immobilis exsistens, omnibus mobilibus mobilior videbatur. Praesens erat, nec tamen cernebatur; apprehendere se permittebat, nec tamen comprehendebatur. Ipsa *attingebat a fine usque ad finem fortiter, et disponebat omnia suaviter* (1). Cum iam putabatur haberi velut delicata iuvencula, subito ut iuvenis pulcherrimus inveniebatur. Interdum quoque vultum reverendissimum, quasi omnium artium magistra esset, induebat; deinde venusto aspectu et vultu roseo apparebat.

Inter haec cum discipulus obnixe aspiceret, cupidusque amoris in suspenso haereret: ipsa amicabiliter quasi inclinando se ad eum convertit, et gratioso vultu blandisque ac ridentibus oculis, divinis-

(1) Sap. 8, 1.

sima tamen admodum et cunctis mentibus stupenda luce ex vultu eius reverendissimo procedente, eum salutavit dicens: *Praebe, fili, cor tuum mihi* (1). Quo audito, prae nimia amoris dulcedine liquefactus, et quasi in extasi positus, ad pedes eius procidit, gratias agens, eius praesentia magnifice delectatus. Procedente vero tempore, cum haec a memoria excidissent, et rursus cogitationes iniquae succrescentes eum de benefactis molestarent, ita ut iam pelagi fluctibus paene mergeretur, maxime propter hoc quia ex omnibus istis descriptionibus ipsum, quem diligebat, comprehendere nequibat: contigit, ut legeretur apostolus Paulus, qui praedicta evidenter determinabat. Aiebat namque *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* esse, et *in ipso esse absconditos omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei* (2). Quae verba tenero animo et palato nondum sano non bene sapiebant, quia Christum sapienter diligere, idest secundum divinitatem, adhuc nesciebat, magisque praesentia quam futura in suo amore quaerebat. Tandem puerilibus annis excursis, cum ad aetatem iam maturam venisset, quadam vice mens eius ineffabiliter illustratur, ita ut totus quodammodo absorptus in spiritu delectatione nimia repleretur; et tunc de praedictis plenissime informatus fuit, ita ut *facies eius* et cordis amor *amplius in diversa non mutarentur* (3).

In hac visione non apparuit corpus, nec quidquam corporeum; et tamen omnem delectationem possibilem illud, quod videbatur incorporaliter et superessentialiter, in se continebat. In hoc fontali principio nec forma erat nec materia, aut imago depicta, sed pura ac simplicissima essentia, cum personarum

(1) Prov. 23, 26.
(2) 1 Cor. 1, 24; Col. 2, 3.
(3) 1 Reg. 1, 18.

distinctione perfecta. Sane ipsum per essentiam, prout in se est, in praedicta abstractione non vidit, sed solum quandam divinorum superlucentium radiorum emanationem supernaturalem, quam verbis exprimere non valebat, in se percepit. Porro obiectum illud mellifluum omnis boni contentivum sibi hac vice monstratum, non fuit persona Patris tantum, vel solum persona Filii, aut Spiritus Sancti, nec fuit ipsa Deitas in sua abstractissima simplicitate accepta, sed fuit ipsa essentia divina secundum nostrum modum intelligendi accepta, prout est summum et ineffabile bonum, summum amabile, summe pulchrum ac deliciosum, et omnium bonorum in creaturis repertorum originale principium superoptimum (1). Et hoc intellexit esse praedictam sponsam aeternam sapientiam.

Verum licet quaelibet persona per se accepta sit sapientia, et omnes personae simul una aeterna sapientia, tamen quia sapientia attribuitur Filio, et quia ratione suae generationis sibi convenit, ideo dilectum Patris Filium sub eodem signato consuetudinaliter accepit, nunc quidem ut Deum, deinde ut hominem, ut in utroque pariter devotionis exercitia et amoris solatia inveniret. Postmodum igitur huius discipuli vita et exercitia spiritualia cum devota occupatione huius divinissimae sponsae decurrebant. Quidquid enim amabile vel pulchrum seu delectabile ac iucundum occurrisset, totum illuc reducebat, a quo bona cuncta procedebant. Cum interdum quaelibet species amabilis et bene compta occurrisset, simulque cogitatio adesset, quod saltem haec pulchritudo in sua amabili sapientia locum non haberet, respondebat: Esto. Sed nec luminosus solaris radius est lumen tale, quod sit ex materia cerae

(1) Richardus Victorinus, *Beniamin Maior*, IV, 23.

vel quovis alio liquore confectum; est tamen lux purior et excellentior omni lumine ex quacunque materia facto. Sic est in proposito. Nam haec pulchritudo nihil est ad hoc, quod est in suo exemplari principio, corde scilicet divino. Abstracto namque ab hoc amabili quidquid est imperfectionis, materialitatis et faeculentiae corporalis, et salvo eo, quod est perfectionis et bonitatis, hoc totum nobiliori et eminentiori modo est in aeterna sapientia, quam sit in hac vel in aliqua creatura.

Ex his et similibus adolescens praedictus ad hoc tandem pervenit, ut quandocunque audivit cantilenas amorosas vel similia, quod haec omnia ad suam, quam diligebat sapientiam purissimo cordis affectu, tamquam amoris ipsius incitamenta retorquebat. O quoties hanc praedulcissimam cordis sui singularem amicam affectu fervidissimo, oculis dulci amoris fletu stillantibus, brachiisque amoris prae aviditate extentis, intra cordis viscera amplexibus inenarrabilibus constrinxit! Quis dicere valeat amorosos obtutus, quibus saepius ab ea pascebatur, et secreta silentia, quibus dulcissimo gustu eius fruebatur praesentia? Interdum quoque, cum aliqui de fratribus dicta nona licentiam peterent, ut civitatem gratia visitandi amicos intrare possent, praefatus iuvenis secretum locum petiit, et amicam suam alloqui coepit dicens: Eia, amoris magistra prae cunctis viscerose cordi meo impressa, animadverte, quod amor virtus est unitiva, copulans vel potius transformans amantem in amatum. Eia, quaeso, veni et tu, amica mea, veni intra cordis mei reclusorium tibi soli reservatum, amore tuo velut decore roseo adornatum. *Veni*, inquam, et ibi *inebriemur* consolationis tuae *uberibus, et fruamur cupitis amplexibus* (1).

(1) Prov. 7, 18.

Igitur ex his et similibus frequenter accidit, ut cor suum prae amoris vehementia sensibiliter quodammodo fervere inciperet, et motu ac pulsu vehementissimo vim amoris proderet, et per alta suspiria ardorem ignitae caritatis aperiret. Et quemadmodum infantulus, nondum loquelae aptus, in gremio matris positus, matri laetabunde arridere cupit, et motu capitis ac gestu totius corporis applaudere nititur: sic et cor istius in medio ventris eius ad praesentiam tantae maiestatis quodammodo gestiendo exsultabat, et desiderio suo ignito vehementer, prout poterat, dilecti sui praesentiam demonstrabat. Dicebatque verbis mentalibus ad sponsam suam divinam sapientiam voce gratulabunda: Tu cordis mei nobilissima imperatrix, regina speciosissima, et gratiarum omnium largitrix. In te habeo divitias et gloriam, delicias et omnium bonorum copiam, et quidquid optabile est, per te mihi est. Et haec suaviter ruminans, statim coepit vultus eius hilarescere, cor iubilare, animus exsultare, et prae exsultatione prorumpere in hanc vocem: *Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam, et proposui pro luce habere illam; venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* (1).

Capitulum Secundum.

Quomodo Christi passio sit praeambula ad cognitionem divinitatis, et qualem formam Christus contraxerit ex acerbitate suae passionis.

Interea dum haec agerentur, discipulus assumpta ad Deum fiducia, suam, quam desponsaverat, amicam taliter alloquitur dicens: O amantissima sa-

(1) Sap. 7, 10-11.

pientia, quae sola perfecte nosti cordis naturam amorosi, tu manifeste scis, quod nemo possit amare incognitum. Igitur ex quo requiris, ut te solum diligam, et dilectum cunctis amabilem reddam, da ergo te amplius mihi cognoscere, ut, quae iubes et doces, melius valeam adimplere.

SAPIENTIA: Processus emanationis creaturarum a summo rerum vertice Deo, secundum ordinem naturae fit per descensum ex perfectioribus ad imperfectiora, quia omnes rerum perfectiones quodam ordine a summo rerum cardine Deo descendunt (1). Ipse autem homo naturaliter ab inferioribus incipiens et gradatim ascendens, in divinarum proficit cognitionem rerum. Unde, si ad divinitatis cognitionem pervenire desideras, restat, ut per assumptam humanitatem et humanitatis passionem, tamquam per viam regiam gradatim ascendere ad altiora discas (2).

DISCIPULUS: O aeterna sapientia, quae de excelso throno, a regalibus sedibus de corde aeterni Patris in hanc vallem miseriae te inclinasti, et triginta tribus annis exilium huius mundi pertulisti, quique nimiam caritatem, qua genus humanum dilexisti, per amarissimae passionis et mortis tuae mysterium ostendere voluisti: per hanc mortis tuae ineffabilem caritatem te obsecro ex intimis visceribus, quatenus te mihi ostendere digneris in forma et dispositione

---

(1) S. Thomas I, qu. 110, a. 1; *De veritate*, qu. 5, a. 8. Cfr. Dionys. Areop., *De caelesti hierarchia*, c. 4, § 3.

(2) Ita saepius cum aliis Patribus s. Augustinus, tract. 13 *in Ioan.* n. 4: per Christum hominem ad Christum Deum. — Cfr. 42 *in Ioan.* n. 8; Sermo 141, n. 4; 261, n. 7; *De civitate Dei*, IX, c. 15; S. Thomas, *Comp. theol.*, c. 2: Christi humanitas via est, qua ad Divinitatem pervenitur. — Cfr. *in Io.* 14, 6; *Quodl.* 8, a. 20.

amantissima, quam ex amarissimae passionis tuae dolore contraxisti.

SAPIENTIA: Quanto ex magnitudine amoris et doloris in morte pallens, offuscatione quadam mortifera appareo deformior, tanto cordi amoroso et menti bene dispositae ero amabilior. Nam sicut amans naturaliter reamari appetit, sic et ab amato amoris sui manifestationem requirit; quia amor inclusus nulli nisi amanti est cognitus. Unde et amantes consueverunt conatibus, quibus possunt, signa et indicia dilectionis ab amatis expetere; et plerumque contingit, quod tacente lingua vim amoris inclusi dispositio prodit superinducta, et, quid in corde lateat, signa pronuntiant exteriora. Nonnunquam etiam contingit, ut illud, quod in amato non amantes indecorum iudicant, id amantes tamquam singulariter decorum extollant.

DISCIPULUS: In amore quidem huius mundi, ut asseris, ita esse veraciter cognosco; sed quomodo in homine crucifixo haec esse possint, nondum clare video; quia licet in amato huius mundi nonnunquam inveniatur, quod etiam amanti displiceat, sunt tamen alia plura amori congrua quae videntem delectant. Hic autem dilectus dolore mortis deformatus, quomodo amabilis videri possit, non intelligo, cuius nimirum amori contraria magis videatur dispositio, cum totus ex livore sordeat exterius, interiusque marcescat ex dolore, et neque speciem neque decorem ullum oculis amantium exhibeat, sed plenus dolore et miseriis exsistat. Quomodo ergo tu dicis amabilem, quem evidentia facti ostendit miserabilem?

SAPIENTIA: Veri amatores non multum de spina, quae rosam gignit, curant, dummodo rosam habeant, quam habere desiderant. Nec vere sapientes scrinia pulchra et deaurata, quae tamen in se vilia continent,

capsulis vilissimis praeferunt, quae pretiosissima ornamenta inclusa abscondunt. Sic sponsae huius mundi specietenus quidem dulcia ac suavia offerunt; posterius autem quasi regulus venena diffundunt. Exterius colore roseo, niveo candore relucent; interius autem putredine virulenta et sanie ac spurcitia plenae sunt. Verbis diligunt; factis autem ut frequentius infidelitatem ostendunt. At contra animae tuae sponsa aeterna sapientia, exterius quidem secundum faciem humilis, abiecta ac despicabilis putatur; interius autem vivae lucis triclinio decoratur. Caro exterius mortua apparet; sed fulgor divinitatis, qui non videtur, interius lucet. Caro videtur misera; sed latet, qualis sit glorificata. Si credis vilia, crede et magnifica. Talis est dilectus, quem sic a foris deformatum cernis, ut si daretur ipsum in decore suo vel ad momentum videre, necesse esset te ex lucis amoenitate, ex faciei pulchritudine, ex gaudiorum immensitate deficere, cum *nullus homo possit ipsum videre et vivere* (1). Ipse est enim, *in quem desiderant angeli prospicere* (2). Porro exterior mortificati corporis dispositio ac forma non est deformitas censenda, ut tu putas, sed maxima formositas; quia non, qualis apparet, qui videtur, attendere debes, sed qualia perpessus sit, et unde, et propter quid. Si quaeris unde, constat, quia ex nimia caritate et dilectione. Si propter quid, certum est, quia propter te, ut sua deformitate te formosum faceret, suo livore te sanaret, sua morte perennis vitae tibi immortalitatem tribueret. Sic igitur dilectum amoris oculo respiciendo videbis plenum caritate et dilectione, qui non solum verbis amavit ut nonnullae dilectrices, sed et factis se diligere comprobavit, quia in morte et usque ad mortem dilexit. Sic igitur patet, quod

(1) Exod. 33, 20. (2) 1 Petr. 1, 12.

exterioris hominis forma et dispositio, quam ex passionis acerbitate contraxit, magis est amoris expressiva, quam deformitatis indicativa. Nec obstat, si hoc ei, qui non amat, non videatur; quia oculis aegris odiosa est lux, quae puris est amabilis.

DISCIPULUS: Vere et indubitanter sic est; et beati oculi, qui sic vident, quia hoc non est omnium, sed paucorum, id est fervide amantium. Fallax proinde gratia et vana est pulchritudo, nec immerito stultus reputabitur, qui secundum faciem et non secundum veritatem amat. Nam, quia falsum pro vero recipit, ideo fructu optato carebit.

SAPIENTIA: Ad redivivam igitur semper tuae menti salubrem passionis meae imprimendam memoriam, amorisque mei artem atque materiam ampliorem praebendam, devotissimis auribus tuis quaedam de ea passione breviter replicabo.

Capitulum Tertium.

De quibusdam Christi passionibus, et qualiter verus amator se eisdem debet conformare, et quare Deus per talem mortem voluit genus humanum redimere.

Ante diem festum Paschae, ultima coena iam facta cum discipulis, instante tempore transitus mei ex hoc mundo ad Patrem, egressus cum undecim abii in montem Oliveti, ubi factus in agonia, cum prolixius orassem et intelligerem tam crudelia supplíciorum genera mihi iam imminere, tunc factus est sudor meus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Vix enim credibile esset alicui homini viventi sub caelo, quales angustias et quam vehementes et

terribiles mortis pressuras natura delicata mortem horrendo in eius praesentia tunc persensit. Postea venerunt filii tenebrarum hostiliter, qui me durissime captivantes et crudeliter ligantes ad civitatem reduxerunt. Noctem illam sacrilegi diversis supplicíorum generibus in me expenderunt, et se poenis meis satiantes, ludibriis et verberibus, iniuriis et opprobriis innumeris me afflixerunt. Faciem meam amabilem turpiter conspuebant, oculos velabant, collum cum subsannatione percutiebant. Mane facto in atrio Caiphae veritatem confitendo, reum mortis me esse conclamabant. Maternis quoque visceribus ipsa, quae me genuit, super me doluit, et *irremediabilibus lacrimis flevit* (1), cum me in tantis opprobriis et angustiis positum vidit. Deinde ante praesidem Pilatum fui adductus, accusatus, condemnatus. Inimici mei terribilibus oculis me intuebantur, et tamquam gigantes steterunt contra me. *Ego autem* mansuete *tamquam agnus mansuetus* (2), *qui portatur ad victimam*, stabam demisso capite, patientissimo corde. Post haec ab Herode alba veste indutus, tamquam fatuus illusus fui. Corpus meum formosum flagellis acerrimis verberaverunt; caput delicatum spinis pungentibus perforaverunt; facies mea amabilis sputis et sanguine defluente sordebat. Et sic tandem condemnatum miserabiliter cruce humeris propriis superposita, ad locum supplicii eduxerunt, clamantes valenter: Tolle tolle, crucifige maleficum.

DISCIPULUS: O summa pietas, si tam amara fuit tuae passionis inchoatio, heu qualis erit tanti doloris exitus et consummatio! Revera animal irrationale tam crudelia pati esset mihi videre miseria: quanto magis et omnium creatorem te speciosissi-

---

(1) Tob. 10, 4. (2) Ier. 11, 19.

mum hominem sustinere tam immania tormenta et supplicia. Merito proinde ex intimo cordis affectu et totis praecordiis meis compatietur tibi anima mea. Sed unum est, quod a te scire cupio, de quo etiam non desino mirari. Ecce quaerenti mihi tuam divinitatem, ostendis humanitatem; quaerenti dulcedinem, profers amaritudinem; petenti mamillas sugere, das robusta certamina decertare. O aeterna sapientia, cur hoc facis, vel quid per hoc vis ostendere?

SAPIENTIA: Notum tibi sit, quod non datur perveniri ad divinitatis altitudinem, vel inusitatam dulcedinem, nisi tractis pio quodam fidei ac dilectionis affectu per humanitatis et passionis meae amaritudinem. Et quanto hac neglecta quis ascenderit altius, tanto cadit profundius. Haec est enim via, per quam itur, haec porta, per quam introitus ad desideratum finem conceditur. Quapropter depone nunc omnem cordis tui formidolosum timorem, et indue animum virilem. Constanter age et in acie fortiter mecum consiste; quia non decet famulum deliciari, ubi viderit dominum suum tam strenue decertare. Respice oculo mentali numerum fortium David; inter quos si spiritualiter aeterno regi militaturus annumerari desideras, necesse est, ut pristinam ignaviam deponas, et exemplo trium fortium David, inter prospera videlicet et adversa aequanimiter te habendo, tamquam per mediam aciem inimicorum transeas, ac de cisterna Bethlehemitica aquam hauriendo, potum desideratum summo regi offeras (1), teipsum videlicet exponendo laboribus cunctis, ut eius solius pareas beneplacito voluntatis. Induere sicut gigas stola bellica; accipe armaturam meam. Non praecedat sed sequatur armiger dominum suum: quia de

(1) 2 Reg. 23, 15.

calice, de quo bibi, potaberis, et adversa, quae pertuli, tu quoque pro posse spiritualiter patieris. Nempe cor tuum ob cotidianam mortificationem sensualitatis rationi contrariantis, et impetum multarum tribulationum te dilectioni meae disponentium angustiabitur, et quodammodo sudore sanguineo perfundetur. Ortum quippe plantationum tuarum roseis floribus, angustiis videlicet et tribulationibus, impinguare desidero. Inveteratas namque in te consuetudines vincendo, captivaberis, et quasi ligaberis; ab adversariis quoque meis occultas calumnias et manifestas iniurias ac verecundias sustinebis. Sed et passionem meam in pectore tuo, tamquam mater fidelissima in suo pectore, iugiter portabis. Reprehensiones et iudicia iniusta a multis patieris; detractiones multas ab aemulis habebis, et quasi spinis caput tuum coronabitur, cum spiritualia exercitia tua invidiae stimulis supprimentur. Post haec mecum extra castra educeris, simulque improperia mea portabis, quando teipsum et propriam voluntatem et omnes creaturas de salute te impedientes deserueris pro posse tuo, velut homo moriturus cuncta deserit in ultimo exitu spiritus sui. Igitur forti animo esto, et praepara animam tuam ad tentationem; quia, quae ventura sunt, annuntiavi tibi.

DISCIPULUS: O iudiciorum Dei abyssus imperscrutabilis! O aeternae praeordinationis sententia formidolosa! Cur non, si dicere licet, decrevisti salvare genus humanum per alium modum magis quietum? O, si liceret dicere miseris ad te: Quare sic fecisti? Numquid in tua aeterna sapientia non potuisti invenire alium modum, per quem et miseros salvares, et tuam nobis dilectionem ostenderes, ut sic et teipsum a tantis doloribus, nosque a compassionibus tantis supportasses? Merito proinde olim pro-

pheta sanctus occulta animadversione consilium hoc quasi impugnare ausus est dicens: *Quare futurus es velut vir vagus, ut vir fortis qui non potest salvare?* (1).

SAPIENTIA: Divina substantia omnem formam, quam intellectus humanus attingit, sua virtute excedit. Unde, sicut non potest ipsam apprehendere, ita nec profunditatem iudiciorum ipsius, per quae creata omnia suum finem sortiuntur, poterit investigare. Proinde a talibus, quae ex solo divinae voluntatis beneplacito dependent, a nimia et curiosa inquisitione cavendum est, ne videlicet *scrutator maiestatis opprimatur a gloria* (2). In hac autem immensitate Deus per suam omnipotentem virtutem, humanam naturam multis aliis modis recuperare poterat; sed stantibus condicionibus ut nunc, nullus congruentior modus erat. Auctor enim naturae in sua operatione non attendit, quid sua virtus praevaleat, sed quid unicuique creaturae congruum secundum suam naturam exsistat.

Cum autem homo paucissimas veritates rerum etiam naturalium et inferiorum deductionibus scientificis ob imperfectionem intellectus humani sciat, et easdem non nisi cum maximo studio et diutino labore tandem conquirat, itemque naturaliter de visibilibus ad invisibilia, de corporalibus ad spiritualia procedat: quomodo, quaeso, congruentius divina mysteria sciri poterant, maximeque illa praeclara fidei principia omnem facultatem intellectus excedentia, nisi ut ea sapientia divina carne induta, utpote veritas infallibilis revelaret, ut sic *invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiceret* (3), sempiterna quoque virtus eius

(1) Ier. 14, 9. (2) Prov. 25, 27. (3) Rom. 1, 20.

ac divinitas per assumptam humanitatem nota fieret? Homo etiam, qui per inordinatam delectationem gaudia amiserat, qualiter ordinatius quam per temporalem tribulationem amissa recuperare debuerat?

Amplius autem, cum *via, quae ducit ad vitam, sit arcta* et semitae (1) angustae, et ante incarnationem fuerint minus tritae: qualiter poterat haec via levior fieri, nisi hoc modo, ut ipse, qui hanc tradidit, praeiret, et viam laboriosam amarissime patiendo alleviaret, et sic facilior creaturae fieret, cum ipsam creator praecedendo tanta sedulitate calcasset? Perpende adhuc ex temetipso. Si morti obnoxius iudicialiter plectendus fores, si quis ictum ferientis pro te exciperet in corpore suo, et te illaesum abire permitteret: quomodo maiorem caritatem et dilectionem tibi ostendere posset, vel debitorem sibi constitueret, teque ad reamandum magis incitaret?

Interroga singulas creaturas, et docebunt te; ordinem totius universi, et respondebunt tibi, quod secundum nullum pulchriorem et congruentiorem modum servanda fuerat iustitia simul et misericordia ostendenda, natura humana exaltanda, bonitas divina effundenda, denique caelum et terra pacificanda, quam cum dolore passionis tanti mediatoris, et amaritudine mortis ipsius. Nec te labor electorum terreat, aut adversa pericula frangant. Ipsa namque ineffabilis praesentiae meae suavitas, et amoris dulcedo admiranda, aut non sentire aut levissime ferre faciet adversa omnia, *unctione magistra* (2).

Quis enim privilegio spiritualis consolationis, aut gratia supernae visitationis amplius gaudet, quam qui durissimas propter me tribulationes sustinet? Amaritudinem testae minus curabit, qui nuclei dulcedinem frequentius praegustaverit. Item athleta,

---

(1) Matth. 7, 14. (2) 1 Ioan. 2, 27.

qui fortem et propitium adiutorem in conflictu habere dignoscitur, pro magna parte iam triumphasse speratur. Igitur non concidat cor tuum; sed passionem meam semper in mente habeto, et eam in corde tuo quasi in libro scribe, et te ei, quantum vales, studeas conformare. Nunc vero amaritudinem salutiferae passionis meae tibi affectuosius inculcare cupiens, ordinem narrationis ipsius ulterius prosequemur.

Eductum me extra castra suspenderunt in crucis patibulo, inter duos latrones, ad hoc dumtaxat, ut mors mea turpior appareret. Cumque sic fixus manerem, et saevissimis doloribus mortis circumdatus essem, oculi mei luciferi fuerunt contenebrati, aures divinae derisionibus repletae, olfactus propter malum odorem afflictus, os meum dulcissimum felleo potu amaricatum. Percusserunt me, vulneraverunt me, et durissimis castigationibus carnem meam laceraverunt, ita ut atroces ictus sanguinis unde erumpentes sequerentur, et per corpus delicatum sparsim decurrentes, ipsum cruentatum sanguine cunctis demonstrarent. O si vidisses me in illa hora tam miserabiliter pendentem in patibulo, defecisset tua anima prae dolore! En in hora et in tempore illo flebili, spatiosa terrae latitudo mihi defecerat, ita ut non haberem, ubi caput miseriis fessum reclinarem, sed inclinatum dependebat. Collum meum alapis et percussionibus afflixerant; faciem meam elegantem sputis immundam reddiderant. Pro vivido colore pallor umbrosus vultum occupaverat, et tota formositas mea in tantum exstincta fuit et emortua, ut aspectus mihi debitus iam non esset, sed quasi leprosi alicuius aspectus viluisse putaretur.

DISCIPULUS: O quis mihi det iam in hac hora tuam hanc faciem amabilem, sub hac lugubri forma iuxta votum prospicere, ipsamque perfundere resoluto

corde, vehementissimo imbre lacrimarum! O speculum munditiae, virtutum et gratiarum omnium pulcherrimum obiectum, in quem desiderant angeli prospicere, iucundissimisque obtutibus suos gaudent oculos defigere felicitate indefessa: quis dabit cordi meo tam eximium et praecipuum compassionis affectum, ut sua ex immensitate omnium singulari amore flagrantium motivas superet compassiones? O si possem omnium oculorum uberes lacrimas effundere, omniumque linguarum motivas et flebiles voces habere, ut passioni tuae tanto efficacius daretur rependere vices!

SAPIENTIA: Nemo melius passioni meae rependit vices, quam qui non verbis solum, sed et factis ipsam prosequitur; qui *stigmata*, idest crucis opera, iugiter *in suo portat corpore* (1), se meis humiliter conformando vestigiis, prospera videlicet calcans, adversa non formidans; qui ardenti semper desiderio ad culmen tendit spiritualis perfectionis. Dico tibi, quod nec tot lacrimarum imbres, quot aquarum sunt gurgites, coram me essent tam acceptabiles; quamvis etiam piae lacrimae ex affectu compassionis procedentes, amabiles et gratae coram Deo exsistant.

DISCIPULUS: Amantissima sapientia, idcirco qualiter me tibi in praedictis passionibus conformare debeam, cupio edoceri.

SAPIENTIA: Averte oculos tuos, ne videant nociva, aures, ne audiant vana, et pro dulcibus sume amara. Corporis tui superfluas et inordinatas amove delicias; cordis tui pacem et quietem in me solo requiras. Cunctas tribulationes gaudenter recipias; mala illata patienter sustineas, et despicabilis ab omnibus videri concupiscas. Disce voluntates tuas

(1) Gal. 6, 17.

in omnibus frangere, et concupiscentias carnis tuae ob amorem Salvatoris pro te morientis iugiter mortificare. Haec sunt, fili mi, haec sunt, inquam, prima principia, quae tibi ceterisque amatoribus suis tradit aeterna sapientia, quae in libro hoc aperto, videlicet corpore meo crucifixo, sicut vides, sunt exarata.

DISCIPULUS: Tam copiosa et immensa est redemptionis tuae fidelitas, et cunctorum excedens ingenia mortalium, ut etiam postpositis omnibus ceteris beneficiis multiplicibus, sola passionis ex amore procedentis tam larga immensitas et tam pia fidelitas, sibimet totum iure rapiat dilectionis affectum. Sed nunc, o aeterna sapientia, anima mea iterato a te audire vehementer sitit hoc, quod miseris tam dulciter sapit. Quid obsecro sibi vult tantus amor, vel quid cogitasti, quod tam amara pati voluisti? Quare tibi ipsi non providisti et propitius tibi fuisti? Levius namque absque omni dubio hoc facere licuisset, si placuisset.

SAPIENTIA: Amoris magnitudo hoc me facere non permisit. Caritatis flamma in tantum desaevit, quod in nullo parcere voluit, nil condescendere admisit. Haec namque in tantum in me exarsit, ut nullus unquam sitiens tam fervide limpidissimos aquarum fontes desideraverit aut moriturus vitam cunctis mortalibus optatam affectaverit, sicut ego ex amore sitivi peccatores salvos facere, et me eis amabilem exhibere. Facilius dies iam praeterita reiterabitur, flores ab initio mundi arefacti revirescent, pluviarum guttae innumerabiles recolligentur, quam mensurari aut aestimari possit caritatis et dilectionis meae immensitas incomprehensibilis. Unde et corpus meum formosum doloribus innumeris tamquam quibusdam amoris signaculis tam multipliciter consignatum fuit, quod non inveniebatur nec spatium unius puncti

in meo corpore crucifixo, quod non dolore et amore singulari reluceret. Et hoc quoque iam in praesenti tibi aliqualiter videre dispensative conceditur. Vide nunc manus meas utrasque, longas et pulchras, clavis acerrime perfossas, brachia atrociter extenta, pedes perforatos, crura admodum fessa, et violenti quadam cancellatione constricta. Respice delicata corporis membra, tam arte inclusioni mancipata, sanguine quoque respersa et perfusa. Corpus meum iuvenili decore venustum, a flore suo decidit et emarcuit. Asperrimum crucis lignum erat delicati dorsi reclinatorium. Corpus ponderosum clavis confixum deorsum sua mole trahebatur, et inde dolor vulnerum meorum augebatur. Quid plura? A planta pedis usque ad verticem saevissimis vulneribus et amarissimis doloribus repleverunt me: deduxerunt in lacum mortis vitam meam. Non pepercerunt, sed inebriaverunt me amaritudine, et exquisitis cruciatibus regem gloriae vexaverunt. Et haec omnia amoris vulnera cum magno sustinui cordis desiderio, ut meo livore peccatorum vulnera sanarem, pro peccatoribus miseris satisfacerem, et omnes redire volentes Patri Caelesti reconciliarem.

Capitulum Quartum.

Qualiter anima, quae sponsum per peccatum perdiderat, ipsum sub cruce per fervidam poenitentiam invenit, Christi passione adiuta.

Effundite lacrimas, oculi mei, plorate et nolite deficere. Laeta huius mundi universa abscedant; cuncta, quae mihi solatii esse videbantur, procul recedant, et me solitudinem moeroris amicam, tristitiae sociam quaerere sinant, ut deflere possim repentina mala,

quae mihi ex peccatorum nebula supervenerunt, et me quondam laetis successibus gaudentem, et iuvenili decore florentem ad praesentem miseriam deduxerunt. Ad temetipsam igitur, o anima mea, introrsum recurrens, et labentia cuncta surpergrediens vastam solitudinem profundissimarum tristitiarum perquire, et excelsos montes rememoratarum miseriarum pete, cordeque sauciato, voce flebili et eiulatu miserabili exclama tam valide, ut montium et collium alta cacumina, aërisque excelsa auspicia usque ad supremi caeli convexa, vox ista lamentabilis pertingat, et ad aures illas pietate plenas caelestium spirituum perveniat.

Talibusque clamoribus eos aggredere et dic: O lapides vivi, montes excelsi, campi luminosi siderearum mansionum: quis mihi det, ut ignis ille vehementissimus calore nimio praecordia mea adurens, et lacrimae amarissimae uberrime iam profluentes vos moveant ad compatiendum mihi, et ad leniendum dolorem meum, dolorem utique incomparabilem, cordi meo vim facientem, animae viscera cruciantem, et me prementem medullitus? Heu me infelicem! Siquidem sponsus ille caelestis me sua caritate praevenerat, enutrierat, in sponsam elegerat, annulo suo subarraverat, et ornaverat multipliciter. Mel et lac ex eius ore mellifluo frequentius suscepi. Osculo oris sui interdum perfruitus sum. Nonnunquam etiam amplexu me spirituali spiritualis ille sponsus liliorum amator lenierat, et repleverat multiplicibus bonis. At ego misera omnibus his ingrata, *cum in honore essem, non intellexi* (1), sed ab ipso aufugi, recessi, apostatavi. Vae mihi, quia ipsum perdidi! Vae mihi, quia unicum cordis mei gaudium dereliqui! *Dereliqui venam aquarum viventium, Do-*

(1) Psal. 48, 13.

minum (1). A dilecto dilecta quondam me alienavi, ab ipso me infideliter separavi.

Heu me miseram, ad quid haec facere volui? Cur ipsum deserui? Eia, quot et qualia cum ipso perdidi! Memetipsam etenim amisi, et omnes caelestes spiritus offendi. Tristia venerunt, solatiosa quaeque me dereliquerunt. Sedeo nuda, vidua ac desolata, confusione et ignominia plena, quia mei falsi amatores, immo certe veri deceptores proh dolor deceperunt me et miserabiliter dereliquerunt, et omnibus bonis, quibus a dilecto ditata eram, spoliaverunt. O honoris amissio, gaudiorum perditio, omniumque consolationum privatio, *quia una hora venit* (2) universorum desiderabilium meorum plena destitutio.

De cetero consolari non potero; sed haec mihi erit maxima consolatio, nullam consolationem recipere, sed semper gemere ac flere, donec miserabili morte perfungar. Vae mihi, quo me vertam, ad quem ibo? Quis me consolabitur? Ecce totus mundus me dereliquit, quia dilectum meum reliqui. Heu me, quare hoc feci? O quam miserabilis hora, quae huius mali exstitit conscia. O rubescentes rosae, et lilia albescentia, ac violae inviolatae, animae videlicet sanctae et immaculatae, intuemini nunc, quem praefero, serotinum florem. Attendite et videte me spineto consimilem, et ponite ad cor, quam citissime marcescit et decidit flos ille, quem hic mundus carpit; quia de cetero nil restat, nisi ut vivus moriar, florens marcescam, iuvenis ante tempus senescam, et sanus languidus fiam. Sed haec omnia leviter dissimulare possem ad hoc solum, quod tuam amabilem et paternam faciem offendi, et te dilectum contristavi: hoc mihi infernus est, et dolor super omnem dolorem. O mi dulcis, mente deficio, cum recolo, quanta me cari-

(1) Ier. 17, 13. (2) Apoc. 18, 10.

tate et dilectione praeveneras, cum quanta dulcedine admonebas, et quam amicabiliter me ad te quondam trahebas. Me premit dolor, eo quod his omnibus ingratus fui, quod tanta bona tam modicum curavi, tantum thesaurum tam leviter abieci. O mortis infelicis optata praesentia, *ad quid retardas* (1)? Cur me non tollis? O cordis humani fortitudo praevalida, quia tanta patiendo non deficio! O cordis mei duritia ferrea, quare nimio dolore premor et non disrumpor?

Obaudite me, divini flores (2), et condolete, omnes pii amatores! Ego illa quondam dilecta, nomine excellentissimo decorata, sponsa summi regis appellata fui. Olivam uberem pulchram fructiferam speciosam vocaverat dominus nomen meum. Heu me infelicem, quia nunc non sum digna vocari ipsius focaria, lotricis officio deputanda! Oculos meos prae rubore et verecundia nequaquam de cetero audeo levare, sed neque os meum amplius ad ipsum aperire. O cordis angustiae! *Angustiae* namque *mihi sunt undique* (3); et quid eligam, ignoro. Dilectum enim absque spe recuperandi perdidisse, gravius est omni morte; ipsum vero sicut prius rehabere apud tristissimam animam meam iudicatur impossibile. En quomodo undique coarctor in totius mundi latitudine spatiosa! Atque utinam in solitudine vastissima essem, ubi oculus humanus me non videret, neque auris audiret, ut me liberius clamoribus ac fletibus satiare possem; quia hoc finis consolationis meae exsistit.

O peccatum, quid mihi contulisti! O infelix culpa et laboriosa voluptas, ad qualem miserum statum me perduxisti! O mundus immundus, deceptione et fallacia ac vertigine plenus. Vae ei, qui tibi famulatur et voluntati tuae se subicit! O quantis hic tribulationibus et miseriis angustiabitur! Nam et si exterius

---

(1) Eccli. 51, 32. (2) Eccli. 39, 17. (3) Dan. 13, 22.

blandiri videatur, interius tamen latet, quod mordeat. Et si a foris serenus videatur, infinita tamen occurrent, quae animam miseram iugiter affligant. Heu, heu deceptrix, quanta mihi in initio promisisti, dum me decipere voluisti! Dulcibus litteris, crebrisque munusculis mihi insidias posuisti. Verbis suavissimis et ad alliciendum compositis, velut sirenarum vocibus fistularumque dulcissimis modulationibus sensum mihi abstulisti; vultu meretricio, gutture nitenti, ridentibusque oculis cor stulti transfixisti. Aquam petenti, utrem cum lacte aperuisti, et me dulci toxico et suavi absinthio inebriasti. Pomella pulchra et suavia ob solam gratitudinem fugientia, manu propria exhibuisti. Rosas de rosario pro munere dedisti. Iurastique valide, quod me sumnie diligeres, nec unquam mihi laetis successibus prosperisque eventibus deficere velles. O callida vulpecula, o vipera venenata! Ecce his aliisque innumeris falsis blanditiis me irretitum post te in mortem traxisti, sicut cum ovi ramus viridis ostenditur, et ad mortem laeta gaudensque perducitur. O fera pessima, o bestia cruenta! Nunc pungis crudeliter, quem leniter unxisti, atrociter allidis, quem leviter elevasti. Vocem sirenis similans, aculeum te habere prodis.

Et ecce omnia versa sunt in contrarium! Dum in sinu tuo me tutius requiescere puto, capilli absciduntur, oculi eruuntur; recedit spiritus, robur tollitur, et inimicorum gladiis inermis occumbo. Haec recolens, haec mente pertractans, in memetipso marcesco, factusque sum mihimetipsi gravis. Felix proinde anima, regina merito divitiarum nuncupanda, quam aliena reddiderunt pericula cautam, quae suam mentis et corporis servavit innocentiam. O quanta felicitate talis etiam nesciens perfruitur! Gaudeat vita pura, laetetur et anima a concupiscentiis mundanis aliena, quoniam semper praesumit saeva con-

turbata conscientia! Haec plumbo gravior, leone ferocior, tonitruo terribilior, absinthio amarior esse comprobatur. Hic est vermis interiora corrodens, qui non comedere nec quiescere sinit, sed plerumque etiam dormientes horrore concutit.

Tot et tanta sunt, quae inquinatam conscientiam laedunt, quod haec incoinquinati vix credere possent. *Creatura enim tua tibi factori deserviens, excandescit in tormentum adversus iniustos, et lenior fit ad benefaciendum his, qui in te confidunt* (1). Haec dixi, quia haec dicere experientia docuit, et praesens amaritudo cordis mei amarissima ad haec me provocavit. Iam enim miseria me premente, cogor exclamare et dicere, quia malum et amarum est mihi reliquisse sponsum meum, et praeceptis eius non obtemperasse. Quis mihi det membranas caeli habentes latitudinem, atramentum maris excedens quantitatem, et calamos tot, quot arborum folia et pratorum gramina, ut perstringere possem dolorem, simulque damnum irrecuperabile, quod incurri, quia dilectum meum dereliqui? Heu, ut quid in hunc mundum nascebar? Cur in utero matris non perii? Totus deficio, et, quid agam, ignoro. Quid amplius moror? *Quid turbor? Quid ploro* (2)? Quid amplius restat, nisi ut meipsum despiciam, et in barathrum infelicis desperationis a facie gloriae Dei me proiciam desolatum?

SAPIENTIA: An ignoras, quoniam periculosa res est desperatio? Desperare de salute tua nullatenus debes, quia ego ad hoc veni in hunc mundum, *quaerere et salvum facere, quod perierat* (3).

DISCIPULUS: O quid est hoc, quod audio, quod tam dulciter resonat in auribus meis, in homine misero et cane abiecto?

---

(1) Sap. 16, 24. (2) Marc. 5, 39. (3) Luc. 19, 10.

SAPIENTIA: Quid factum est, quia me non recognoscis? Quomodo sic corruens in terram collapsus es? Numquid prae dolore nimio alienationem mentis pateris, fili mi? O dilecte mi: Ecce ego sum illa aeterna sapientia, Caelestis Patris Filius, misericordiae baiulus, clementiae dux, et legifer pietatis, qui abyssum misericordiae omnibus creatis spiritibus ex sua infinitate incomprehensum aperui, teipsum omnesque ad me redire volentes sinu piissimo recepturus. Agnosce vultum meum! Ego enim sum, qui paupertatem sustinui, ut te ditarem, mortem pertuli amarissimam, ut te vivificarem. Ecce hic sto mediator Dei et hominum, reservata habens crucis stigmata, interponens ipsa districto iudicio aeterni Patris et cunctis peccatis tuis.

Nunc igitur noli timere! En ego sum frater tuus, sponsus tuus, paratus misereri et tegere peccata tua et *proicere in profundum maris* (1), et sic remittere, quasi nunquam fuerint, dummodo converti et de cetero cavere tibi volueris. Lavare in sanguine meo, in sanguine, inquam, agni immaculati amore plenissimi, et roseo colore praefulgenti! Leva de terra caput tuum! Aperi oculos, et animaequior esto! Ecce profertur tibi stola prima, datur annulus intelligentiae, et calceamenta exhibentur; vitulus saginatus occiditur (2), nomen amabile redditur, ut sponsa aeterni regis sis et appelleris. Etenim *non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine* meo te redemi (3), et cum tanto labore acquisivi, ut non immerito debeam gaudere de salute tua, et ad veniam esse facilis.

Mirum est et valde mirandum, quod dicere volo, certissima tamen et indubitata fide tenendum. Ecce si totus mundus esset globus igneus, et in medio eius

---

(1) Mich. 7, 19. (2) Luc. 15, 22-23. (3) 1 Petr. 1, 18-19.

de stipula lini pugillus unus: hic ex sua naturali inclinatione non tam cito flammarum incendia reciperet, sicut abyssus miserationum mearum peccatorem poenitentem et converti volentem. Quia in illa actione naturali aliqualis, licet minima et imperceptibilis, requireretur morula, sed nulla penitus mora inter poenitentem et remittentem, inter gementem et gemitus exaudientem.

DISCIPULUS: O paternorum viscerum pietas inaudita, o fraternae fidelitatis dilectio stupenda, o unicum cordis mei gaudium, tune illum abiectum perditionis filium dignaris adhuc recipere? Numquidne reo mortis, omnibus iniquitatibus obnoxio, gratiam vis impendere? O gratia singularis, o benignitas inenarrabilis, o divinae misericordiae pelagus infinitum, cunctis mortalibus incomprehensum, excedens ingenia, superans vota, denique supergrediens merita universa! Huius igitur rei gratia flecto nunc genua cordis mei ad te, Pater misericordiarum, et in terram provolutus prosterno me coram pedibus tuis clementissimis, gratias agens ex intimis praecordiis, et peto, ut respicias tuum unigenitum Filium, quem ex nimia, qua nos dilexisti, caritate in mortem tradidisti, et ut propter multitudinem dolorum eius omnium iniquitatum mearum obliviscaris.

Recordare, quaeso, misericordiarum tuarum et promissionum antiquarum! Equidem tu ore tuo sancto quondam mundo per diluvium perdito signum reconciliationis tradidisti dicens: *Ponam arcum meum in nubibus, et recordabor foederis mei vobiscum, et erit signum inter me et terram* (1). Eia respice nunc, piissime Pater, arcum illum tunc praefiguratum, scilicet dilectissimum Filium tuum in cruce suspensum! Con-

(1) Gen. 9, 13, 15.

sidera diligentissime, quomodo ex omni parte est expansus et protensus, ut libeat dinumerare omnia ossa eius! Ecce qualiter manus ipsius et brachia ceteraque membra validissime sunt extenta, vulneribus attrita, sanguine perfusa! Haec quaeso intuere, et per ipsius vulnera tu nostra sana vulnera, ac dimitte peccata!

Memento, Domine, quare misericors et Pater misericordiarum dicaris! Nam ex eo videlicet, quod omnium miserator misereris et iniuriarum in te commissarum non memineris atque peccatorum obliviscaris. Non enim propter iustos, qui non indigent poenitentia, sed propter nos, qui peccavimus et inique egimus, misericors appellaberis. Aut numquid solos iustos et innocentes, quorum vita eximia et caelibata nobis continue in exemplum relegitur, auricularios a secreto ponere decrevisti, et eos solos gratia et amicitia tua singulariter decorare disposuisti? Aut numquid innocentium (1) Dominus tantum? Nonne et poenitentium? Immo et poenitentium et eorum, *qui convertuntur ad cor* (2). Nonne, *ubi abundavit delictum, et gratia superabundare consuevit?* (3).

Igitur ad te Patrem misericordiarum confugio, protectionis tuae gratiam quaero. Insuper affectu quoque fervidissimo, amplexu praecordiali, o Fili regis aeterni, me inter extenta et nuda constringo brachia tua sanguine cruentata, nolens a te neque vivus neque mortuus unquam separari. Quamobrem, o dulcis et pie Pater, remitte mihi, remitte mihi propter amorem unigeniti tui peccata mea, quibus iram merui et malum coram te feci; quia tantus est mihi pro peccatis dolor, ut potius mille mortes vellem sustinere, quam te, Pater piissime, de cetero unquam offendere. Omnes namque calamitates, quas patior,

---

(1) Cfr. Rom. 3, 29. (2) Psal. 84, 9. (3) Rom. 5, 20.

seu etiam infernus quem demerui, aut purgatorium saevissimum non tantum pondero, nec me tantum contristant, sicut offensa, qua te, creatorem meum offendi, te, inquam, o Dominum meum et Deum meum, redemptorem meum et unicum cordis mei gaudium; et quod te contristavi vel aliquam irreverentiam exhibui.

Unde et, si possem nunc omnes caelos replere clamoribus irremediabilibus, et tantam vim cordi meo inferre, ut mille scissuris frangeretur: hoc mihi esset optabile prae omnibus solatiis, quae habui omnibus diebus vitae meae. Et quanto mitius mecum agitur, tanto amplius lacrimosus animus affligitur, eo, quod tam pio amico et Patri fidelissimo tam ingratus fui. Sed nunc tu, doctrix disciplinae Dei, o aeterna sapientia, doce me, obsecro, qualiter tua stigmata dulcissima et suavissima in corpore meo deferam, qualiter ipsa iugiter in memoria retinere debeam, ut saltem per hoc ostendam caeligenis atque terrigenis, quam gratiam referam pro tam innumeris bonis ex superabundantia pietatis tuae largiter mihi misero collatis.

SAPIENTIA: Teipsum et omnia tua mihi offeras, nec oblata aliquando resumas; et non solum a superfluis, sed etiam interdum a licitis abstineas: Et ecce manus confixas cruci meae exhibuisti. Quod bonum est, debes facere; et mala illata aequanimiter sustinere; animumque tuum mutabilem, ac sparsas cogitationes debes colligere, et recollectas in me summo bono firmare: et pedes tuos cruci affixisti. Virtutem animi et corporis non permittas accidiose tepescere, sed ad similitudinem brachiorum meorum iugiter in meo famulatu extendere toto conamine stude! Fessus et fatigatus ex labore quocunque gratias age et patienter sustine! Motusque sensualitatis viriliter

restringe: Et sic violentiae et lassitudini, quam crura patiebantur, respondebis. Porro caro mea refloreat per carnis tuae devotam rationabilemque mortificationem. Sed et dorso meo crucis ex asperitate afflicto, dulce reclinatorium ad quiescendum facias, per diversorum incommodorum voluntariam perpessionem. Animum corpore praegravatum semper sursum ad Dominum habeas; membra tua iustitiae et sanctificationi exhibeas, sicut ea prius iniustitiae exhibere solebas. Cor promptum tibi sit ad sustinenda omnia adversa pro nomine meo: et sic tamquam fidelis discipulus cum Domino suo spiritualiter crucifixus et quodammodo sanguine compassionis respersus, mihi similis amabilisque efficieris.

Capitulum Quintum.

Planctus super exstincto fervore devotionis in diversis personis utriusque sexus moderni temporis, quos Christus per suam passionem revocat ad verum amorem.

Quomodo sedet sola civitas plena populo; facta est quasi vidua domina gentium etc. (1). Dum quadam vice discipulus sapientiae mente lugubri periculosum iam statum huius mundi revolveret, et quantum amor divinus suis temporibus defecisset, simulque amor privatus in plerisque locis sub forma religiosa furtive succrevisset: accidit, ut inter lacrimosas preces ad Dei sapientiam effusas, spirituali quodam ac dulci sopore opprimeretur. Et ecce subito similitudo quaedam affuit, quae eum de praedictis plenius informavit. Nam in visione apparuit peregrinus qui-

(1) Thren. 1, 1.

dam pauper et exul, foris stans, baculum in manu gestans, miseria et egestate plenus. Iuxta quem videbantur quasi cuiusdam antiquissimae civitatis ruinae, cuius muri et aedificia quondam pulcherrima, turribusque ac fossatis, portis ac seris ceterisque armaturis firmata fuerant. His autem, qui de intus erant, negligenter agentibus, pars quaedam civitatis hostium incursione dirupta est, quaedam autem ex negligentia inhabitantium corruit; ea vero pars, quae remanserat, ruinam minabatur, hinc inde adhuc rupturis quibusdam in altum prominentibus. In hac civitate apparuerunt quaedam animalia veluti monstra marina in effigie humana, a quibus peregrinus ille auxilium petens indignanter repellebatur, eique auxiliari cupientes a nonnullis prohibebantur. Propter quod turbatus et commotus ab eis expulsus recessit, et caelum ac terram contra eos in testimonium invocavit. Haec inquiens discipulus vidi, et significationem eius mihi peto ostendi a te, o aeterna sapientia, quae cuncta nosti mysteria et omnia scis occulta.

SAPIENTIA: Res miranda et compassione dignissima. Ecce ego sum peregrinus ille huius civitatis destructae, quondam princeps inclitus, et sponsus praeclarus. Civitas autem haec, quam vidisti ruinosam, ipsa est mater religio christiana, quondam fervida et devota: in qua tot fideles ab initio nascentis Ecclesiae unanimiter et concorditer cum devotione praecipua, sanctam et Deo placentem vitam religione plenam duxerunt: Qui spretis omnibus mundanis, in solo conditoris amore flagrabant: Qui sanctis meditationibus et bonis operibus semper intenti, seipsos et proximos aedificabant, neminem circumvenientes, neminem laedentes, sed in simplicitate et sinceritate vitam beatam ducebant. *Carnem suam cum*

vitiis et concupiscentiis crucifigebant (1), exercitia magna et consuetudines devotione plenas habentes, diversorum monasteriorum et solitudinum ac religionum viri, viri utique virtutum, fortissimi ac strenuissimi bellatores contra spirituales nequitias inimici. Semetipsos quoque pro defensione veritatis et iustitiae in mortem usque tradentes. Tales, inquam, cives illustres ac filios praeclarissimos praedicta civitas sancta mater fervida religio parere et nutrire, et ad provectum usque perducere solebat.

Sed proh dolor multis iam in locis, his temporibus, ac regionibus praedictae civitati non modicum incipit excidium imminere. Civibus nempe quibusdam ac eorum rectoribus negligenter se habentibus, tota structura spiritualis aedificii infirmata est et concussionibus vastata, ut hoc modicum, quod adhuc stare putatur, continuis defectionibus perire videatur. Iam enim plerique eiusdem sanctae religionis filii ac professores in tantam proterviam contra suos superiores prorumpere ausi sunt, ut paene nullus correctioni locus pateat, sed si delicto adhibeatur correctio, peior scissura fiat. Armati enim subtilitatibus philosophicis, ac allegationibus iuris superfluis in medium adductis, manus corrigentis nequaquam admittunt, sed saltum ultra terminos, quos posuerunt patres eorum, facientes, contentionibus periculosis seipsos et alios involvunt.

O certum indicium exterminii huius aedificii spiritualis, o verissimum praesagium futurae in proximo calamitatis! Quam diu putas aedificium hoc spirituale poterit stare, submoto lapide angulari, et columna subversa totam structuram spiritualem conservante, cum videlicet prompta et humilis oboedientia proiecta fuerit, et unusquisque hoc, quod

(1) Gal. 5, 24.

sibi placet vel libet, fecerit, *nec quisquam dicere audeat: Quare sic facis?* (1). Heu, heu ubi est oboedientia Pauli simplicis et quorundam discipulorum probatissimorum, qui antiquis Patribus impossibilia imperantibus devotissime obtemperaverunt? Sileat nunc de hoc loqui lingua, sed devota gemant corda universa. Neque enim de hoc loqui proderit. Proderit tacuisse. Nam bene tacuisse in hac materia est philosophatum esse.

De paupertate autem voluntaria, quae nutrix et fomentum est totius religionis, quam quidam Sanctorum Patrum in sponsam elegerant, quidam eam dominam suam appellabant, quidam etiam pro testamento suis carissimis ipsam legabant, quid dicam? Neque enim iam a plerisque ut sponsa amatur, sed velut Agar, ancilla Sarae, foras eicitur, dum proles ipsius contra omnes, *et manus omnium contra eam* (2) esse videantur. Mille namque artes lucrandi quaeruntur, et artes salutis operativae in artes lucrativas transierunt, ita ut argutissima ovicula sit, quae vel modicum de lana contra frigoris asperitatem sibi ob venatorum calliditatem ac tonsorum cupiditatem reservare possit. Et quod sub forma pecuniae reservari indecens iudicatur, dum in alium usum pietatem quidem praeferentem, re autem vera cupiditati deservientem commutatur, de eo quodammodo quasi idolum fabricatur. Nempe peculium ad hoc in aliam speciem, scilicet librorum vel paramentorum ecclesiasticorum transferunt, ut, dum iam habita defecerint, quasi Deus non sit in Israël, Deum Accaron, quem in marsupio repositum habent, consulere possint (3).

De castitate autem, quae virtutum decor est, prosequi non expedit nisi tantillum, quod proh dolor

---

(1) 2 Reg. 16, 10. (2) Gen. 16, 12. (3) 4 Reg. 1, 3.

agni novelli, dum saevas iam lupas fugiunt et ad pastorum protectionem confugiunt, in muscipulam deteriorem cadunt; et, dum dentes lupinos declinare cupiunt, insidiosis masticationibus arietum letaliter vulnerantur, aut penitus occumbunt. *Speciem* enim *quidem pietatis habentes, virtutem autem abnegantes* (1), dum notam inhonestatis ex proditione solum timent incurrere, student clanculo latrocinia animarum exercere, violasque caelestis sponsi violare vel contrectatione inhonesta maculare. Hi exemplo quorundam sacerdotum mosaicae legis mittunt fuscinulam in ollam (2), et de his, quae Deo offerre deberent, rapinam exercent. Et quia totum sacrificium consumere non audent, saltem libamina sacrificiorum qualiter sapiant, prout possunt, degustant.

Porro de caritate, quae connexio est totius spiritualis structurae, quid dicam? Exinanita est, exinanita usque ad fundamentum in ea. Omnes enim, quae sua sunt, quaerunt, non quae aliorum (3), magisque nunc locum habet periculosa detractio quam sincera dilectio. Et fraternum odium fraternam caritatem supplantavit, immo, ut verius dicam, prostravit caritatem, ut merito exclamare libeat cum gemitu et dolore, ac dicere: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit* (4), *et inimici hominis domestici eius* (5). *Sagitta vulnerans,* ait propheta, *lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico loquitur, et occulte ponet insidias* (6). Et, quia se

(1) 2 Tim. 3, 5.
(2) 1 Reg. 2, 13-14.
(3) Phil. 2, 4.
(4) Ier. 9, 4-5.
(5) Mich. 7, 6.
(6) Ier. 9, 8.

invicem mordent, provocant, invident, lacerant, timendum, ne tandem ab invicem consumantur (1). Neque autem ista et similia adeo occulta sunt, ut non sciantur, vel ut per haec tamquam abscondita in lucem non producantur, sed heu *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (2).

Sanctas autem consuetudines et pietatis exercitia, iuxta antiquorum semitas Patrum, si quis iam servare voluerit, derisioni patebit; et inter ceteros notam singularitatis incurrens, utpote dissimiliter aliis vivens, non modicas iniurias sustinebit. Quae omnia vigente adhuc piae memoriae sancta ac fervida religione in statu erant bono atque perfecto. Fuerunt pro certo tunc aurea tempora, dies utique salutis; quia a superfluis sibi cavebant, nec adulationibus inserviebant pro aliena donatione, nec contentionibus seu brigis intendere permittebantur, sed operibus virtutum sanctisque studiis ac meditationibus tempus suum occupabant; et *erat* illis *cor unum et anima una* in Domino, in communi viventes, et non singuli sibi ipsis conquirentes (3); et ideo erant viri in omni virtute perfecti. De praedictis autem spiritualibus exercitiis non remansit nisi *modicum ibi, modicum ibi* (4). Quaedam namque antiquae consuetudines velut huius spiritualis aedificii partes qualescunque adhuc stare et sursum prominere cernuntur, in quibus tamen non tam modernorum devotum perpenditur exercitium, quam antiquorum laudabile studium commendatur.

Quod autem vidisti ibidem multitudinem copiosam quorundam animalium, quae velut monstra marina in effigie humana apparebant, ipsa sunt corda

---

(1) Gal. 5, 15.
(2) Psal. 18, 5.
(3) Act. 4, 32.
(4) Is. 28, 10.

saecularia sub habitu religioso latitantia, quae honestatem habitus exterius praeferunt, interius autem gratia et devotione vacui sunt; et dum sic deformes interius exteriusque exsistunt, monstruosis utique animalibus dissimiles non sunt. Qui velut asina Balaam (1) voce quidem humana resonantes, verba abstractiva et documenta spiritualia proferunt, sed concretive et carnaliter vivunt, quia quod verbis et habitu praedicant, moribus impugnant. *Ex his sunt, qui penetrant domos* curiose agentes, *ac mulierculas captivas ducentes, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (2): Qui per *vanitates et insanias falsas* (3) a corde suo et aliorum me excludunt.

Sed quod vidisti quosdam ibi in habitu et forma decenti, qui mihi manus praebuere, signat numerum electorum, qui iuste et pie inter alios conversantes, eorum exemplo non depravantur, sed *in medio nationis pravae et perversae, velut luminaria lucentia in hoc mundo* caliginoso (4), verbo vitae proximos quosque illuminant et inflammant. Qui, licet in magno adhuc numero inveniantur in omni statu et religione ac aetate utriusque sexus, comparatione tamen ceterorum pauci sunt. Quia revera plures sunt, qui per latam et spatiosam viam, quae ducit ad mortem, ingrediuntur, quam qui per arctam viam et angustam portam intrare contendunt. Et hi inter alios sicut agni inter lupos se habentes, *sicut lilium inter spinas* (5), odorem virtutum ex tolerantia reddunt adversitatum. Hi sunt, quos reservavit sibi Dominus: *Qui non curvaverunt genua sua coram Baal* (6): Qui non fecerunt *curam carnis in deside-*

---

(1) Num. 22, 28-30.
(2) 2 Tim. 3, 6-7.
(3) Psal. 39, 5.
(4) Phil. 2, 15.
(5) Cant. 2, 2.
(6) Rom. 11, 4.

riis (1): Qui habent *thau* scriptum in frontibus suis (2), videlicet *mortificationem Iesu Christi ubique circumferentes in corpore suo* (3); aliorum transgressiones, quas emendare nequeunt, gemunt ac lugent. Hi propter innumera adversa, quae emergunt, possunt dicere cum Apostolo: *Foris pugnae* (4), *intus timores*. Et post omnia alia pericula, habuisse se *pericula in falsis fratribus* (5) concludere possunt.

Tales non immerito martyribus comparantur, quia exceptis aliis afflictionibus multiplicibus, quot transgressiones contra Deum vel iustitiam fieri viderint, quasi tot gladiis intimi doloris transverberantur. Sed *non ad insipientiam sibi* (6). Ad ipsos namque est vox, quae dicit: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Vae impio in malum, quia retributio operum ipsius fiet ei* (7). Ipsi esurient, et vos comedetis; ipsi sitient, et vos bibetis. Et quanto ex omni parte difficilior eorum est congressus, utpote commilitonibus a dextris et a sinistris eos non adiuvantibus, sed proh dolor adversam partem faventibus, tanto multis praedecessoribus, qui innumeros coadiutores sui propositi habuerunt, maiorem in futuro mercedem secundum suum laborem recipient.

Unde quod in praedicta similitudine vidisti quosdam, qui nonnullos ad me accedere volentes prohibebant, signat eos, qui ceteros bonum propositum habentes suis malis depravant consiliis vel exemplis, et ad instar Pharisaeorum ad vitam non intrant, nec introëuntes sinunt intrare. Qui etiam Dei sapientiam ore impiissimo blasphemabant, et ceteros in ipsum

---

(1) Rom. 13, 14.
(2) Ezech. 9, 4.
(3) 2 Cor. 4, 10.
(4) 2 Cor. 7, 5.
(5) 2 Cor. 11, 26.
(6) Psal. 21, 2.
(7) Is. 3, 10-11.

credentes modis omnibus avertere cupiebant, seductorem eum appellantes. Sic plerique non urgente conscientia, sed stimulante invidia, alios in gratiis se praecedentes de bono opere lapidant (1), dum eorum depravare bona opera coram multis non cessant. Et ubi factum in se propter bonitatis evidentiam pervertere non possunt, saltem intentionem (2) invidi detractores calumniari conantur, ut sic quidem eos, quos positive aequare non poterant, saltem privative praecedant. *Invidia namque diaboli intravit in orbem terrarum. Ipsum sequuntur, qui sunt ex parte eius* (3).

Baculus, quem me portare in habitu peregrini vidisti, mortem, quam in cruce pertuli signat: quem in signum amoris fidelibus praefero, ut amorem terrenum deserant, et se in toto corde suo ad me convertant.

Clamor, quem audisti, severitas est iustitiae meae super hos, qui nec timore nec amore compuncti peccata deserunt, sed in eis pertinaciter usque ad mortem persistunt.

DISCIPULUS: Dum haec attento corde audio, et ita esse veraciter cognosco, magis flere libet quam aliquid dicere. Quis enim non lugeat, quis non ploret et ingemiscat, videns virgulta nata, et frutecta in tam sancto loco suborta (4), videns primitivae civitatis splendidas delicias et spirituales divitias, gratiae copiam, unctionis et devotionis, et omnium charismatum divinorum abundantiam, nunc autem inopiam tantam? Modicum gratiae, malitiae plu-

---

(1) Ioan. 10, 33.

(2) Cassiodor., *Hist. Eccles.*, 1, 14: Non abstinentes etiam apud omnes nostrae pietati calumniari.

(3) Sap. 2, 24-25.

(4) 1 Mach. 4, 38.

rimum. Quis non suspiret et prae dolore exclamet: Heu quomodo sedet sola civitas plena populo; et illud: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* (1). Durus valde est aut irreligiosus, qui haec damna diligenter perpendit, et non ex toto corde gemit. Et ecce materia huius tristitiae et fletus augetur, dum iam *totus mundus in maligno positus* conspicitur (2), et hostis antiquus appropinquante eius termino, tantum praevalere apud multos evidenter cognoscitur.

SAPIENTIA: Nihil tibi ad praesens *de his, qui foris sunt* (3), qui in plateis aras aedificant, et carnes suillas immolant (4), qui *in omni colle sublimi et sub omni ligno frondoso* se *impudice* prosternunt (5). De huius mundi apertis cultoribus loquor, qui manifesta peccata, adulteria, furta et similia committere non verentur. Sed excidium civitatis sanctae, defectum videlicet fervoris primitivae religionis te cupio ad cor ponere, et pie deflere, atque pro eius restauratione ac bono statu orationes ad Deum effundere lacrimosas. Siquidem ipsa est civitas supra montem posita; lucerna super candelabrum locata, et sal spirituale, per quod condiendi sunt homines terreni. *Spectaculum mundo et angelis et hominibus* (6). Eius quippe verbo et exemplo ceteri consueverunt roborari, illuminari ac sapientia condiri.

Cum autem civitas haec malum exemplum dabit, cum lumen exstinctum fuerit, et sal infatuabitur: Heu, heu quomodo tunc stabit in mundo? Cum hi, qui mundo hoc abrenuntiaverunt, toto nisu mundana sequuntur: Cum hi, qui spirituales dicuntur, car-

---

(1) Thren. 4, 1.
(2) 1 Ioan. 5, 19.
(3) 1 Cor. 5, 12.
(4) 1 Mach. 1, 50; 2, 10, 2.
(5) Ier. 2, 20.
(6) 1 Cor. 4, 9.

nalia desideria sectati fuerint, et *se implicabunt negotiis saecularibus* (1): O sacrosancta mater Ecclesia, quanta erit tunc tribulatio tua? Quis est, qui surgat et teneat iudicem iratum? Nam et in praesenti quoque tempore multi, qui ipsum placare debuerant, non minime ipsum offendunt. *Sabbatum eorum odivit anima mea* (2). Amor namque ipsorum spiritualis transiit in carnalem, et carnalis incaute palliatur sub specie spirituali, sicut zizania sub tritico; et admixtione eius viluit, sicut balsamum sophisticatum vilibus liquoribus. Sacrificium Deo offerunt fermentatum. Nam ambitio usquequaque in cordibus eorum praevaluit, et regnat supra modum, dum gloriam in praelationibus quaerunt tam sollicite temporalem. Et dum quidam eorum haec iuxta votum habere non possunt, animo moti sectas introducere non metuunt, et veluti praevaricatores Iudaici populi gymnasium (3) in Ierosolymis facere quaerunt, et se ac alios ad instituta gentium transferre contendunt, terminos transgredientes, quos posuerunt patres eorum.

Referam, quod silentio transire cogitaveram, ut simul cum materia tristitiae, crescat et materia piae compassionis et devotae orationis. Erat in civitate praedicta vicus quidam praecipuus, unus de principalioribus, ceteris contribulibus sapientiam atque doctrinam praeclarissime administrans. Multi autem de senioribus populi illius morientes, de medio sublati sunt. Fuit praeterea ibi quidam homo Dei, qui pro salute loci Deum assidue precabatur.

Aspiciebat in visu noctis: Et ecce quasi de parte loci eiusdem occidentali aries unus de grege surrexit, habens duo cornua, et in capite suo coronam ferream; et data est ei potestas, ut regnaret in prae-

(1) 2 Tim. 2, 4. (2) Is. 1, 14. (3) 2 Petr. 2, 1; 1 Mach. 1, 15.

dicto loco (1). Quem sequebantur quasi septuaginta vulpeculae vel amplius, adhaerentes arieti, quae et ipsae singulas coronas accipiebant. Quibus multitudo diversorum animalium utriusque sexus iuncta erat, quaedam quidem ex timore, quaedam ex cupiditate; nonnulla etiam simplici quodam animo multitudinem sequebantur. Igitur aries volens sibi suisque imperium loci usurpare, circuibat in manu valida, desaeviens in omnes, qui sibi resistebant. Potentes deiciebat, magnates humiliabat, quosdam exilio damnabat. Et factus est timor eorum magnus super omnes incolas et convicaneos loci eiusdem. Volentes enim sive per fas sive per nefas praeesse, nulli obsistenti parcebant omnino, nec sexui aut aetati, cuiuscunque exsisterent meriti vel vitae. Unde et plerique metu victi eis iuncti sunt, nolentes exterminari de terra. Nonnulli tamen de populo Dei relicti sunt, qui magis Deum quam homines timentes in tribulationibus maximis viriliter et constanter perstiterunt, parati pro patriis ac Dei legibus mori fortiter, quam praevaricatorum parere voluntati, per quorum lascivias et transgressiones locus idem statim in nihilum redigi poterat.

Licet autem et inter hos quoque essent, qui *ad viam veritatis non recte ambularent* (2), neque semitas iustitiae et aequitatis, ut oportet, observarent, malis tamen gravioribus, quae per adversam partem subintroire coeperant, obviare cupientes, se eisdem pro posse opponebant. Quibus in adiutorium fuit dux filiorum Dei, loci eiusdem supremus gubernator, vir utique per omnia laudabilis et magnanimus, ius-

---

(1) Visione describitur Ludovici de Bavaria in Papam Ioannem XXII bellum, quo Patres Dominicani, cum a Papa starent, multum vexabantur.

(2) Gal. 2, 14.

titiaeque zelator (1). Diversi quoque, *qui fugiebant mala, additi sunt ad eos, et facti sunt eis in firmamentum* (2). Igitur aries nisus est cornibus suis impetere ducem gentis suae, eumque modis, quibus poterat, deicere nitebatur (3). At vero dux invictissime stabat. Quo viso aries cum quibusdam de suis ad principem totius multitudinis se transtulit (4), ac ipsum contra ducem populi sui interpellabat, dolosisque suggestionibus aures eius innocentes nec fraudis conscias impulsans, principatum sumpsit in populo suo.

Quod audiens Ecclesia fidelium altius ingemuit, et nonnulli lacrimantes vociferabantur in caelum, minimam quidem curam pro se habentes, maximam autem pro sanctis Dei legibus Patrumque traditionibus, quas violari aperte non sine scandalo multorum videbant, supplicantes auribus divinis, ut, si fieri posset, cor principis multitudinis sanius informaret. Cumque durissimo famulatu multi innocenter premerentur, *clamaverunt* ad Dominum, *et clamor eorum pervenit ad Deum, et audivit gemitum eorum* (5), descenditque liberare eos. Adhuc namque inventa sunt bona opera in Israël (6). Quodam igitur tempore in insula quadam convenerunt impii adversus filios oboedientiae, in manu forti et multitudine praevalida, in virtute sua confidentes.

Quod videntes ex adverso hi, qui erant de parte Domini, vehementer extimuerunt, et desperabant se posse evadere. Erat enim congregatio magna et fortis, et hi docti et parati ad proelium. Paucissimi vero ex

---

(1) Ioannes Papa XXII.
(2) 1 Mach. 2, 43.
(3) Ludovicus de Bavaria contra Ioannem XXII papam nominavit Nicolaum V, Petrum de Corvara.
(4) Fredericus de Austria.
(5) Exod. 2, 23-24.
(6) 2 Paralip. 19, 3.

adverso relicti erant simplices, nec armorum consuetudinem habentes.

Unus autem de his, qui partem Domini adiuvabant, ceteros timore perterritos ad constantiam constanter animabat, et ad orationum suffragia confugere hortabatur. Et ipse quidem ad locum orationis se conferens, prostratus ad terram haec et his similia in oratione dicebat: Dominator Domine rex caelorum et terrae, in voluntate tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit resistere voluntati tuae. Tu scis, quia isti veniunt ad nos in sua audacia et multitudine confidentes, volentes regnare non ex te (1), et patrias ac Dei leges violare, et nos miseros de terra dispergere cupiunt. Eia, Domine Deus, aperi oculos tuos et vide tribulationem nostram et sanctae congregationis tuae, et converte luctum nostrum in gaudium! *Disperge illos in virtute tua, et depone eos* (2), ut cognoscant te adhuc curam populi tui gerere. Ostende nunc, quia victoria non est ex multitudine, sed ex tua voluntate (3), et miserere nobis, ut hanc magnam tribulationem, quam pro peccatis nostris patimur, te adiuvante vincamus, et quemadmodum patres nostri, sic et nos tibi in pace et tranquillitate serviamus.

His itaque gestis, Deus, *qui nunquam deseruit sperantes in se* (4), vocem servorum suorum ad se clamantium exaudivit, et virtutem adversariorum eliminavit. Nam in crastino, eodem loco in conspectu multitudinis congregatae, aries in terram corruit, et unum de cornibus suis confractum est, omnibus Deum laudantibus. Et exinde coepit potestas eius deficere ac decrescere de die in diem. Nam multi intelligentes fraudem ipsius, poenitentia ducti coeperunt ab eo recedere; et pars filiorum oboedientiae

(1) Os. 8, 4.
(2) Psal. 58, 12.
(3) 1 Mach. 3, 19.
(4) Iudith 13, 17.

crescere coepit ac proficere, adiuvante Domino populum suum, inimicos autem pacis persequente. Per omnia benedictus Deus! Amen!

DISCIPULUS: Res stupenda pariter et miranda, quod imperscrutabilis abyssus iudiciorum Dei electos suos sic tribulari permittit, nec tamen usquequaque deserit, sed tam paterne liberat et protegit. Sed vellem evidentius nosse mysterium similitudinis huius.

SAPIENTIA: Intelligentibus satis dictum est. Tu amplius quaerere noli! Fructum tamen non modicum ex his colligere debes.

Primo, ut discas in nulla unquam adversitate desperare, sed omnem spem in Deum ponere, et orationis refugia quaerere in tribulationibus cunctis; nec viam iustitiae propter rabiem cuiuscunque persecutionis saevientis deserere, et super omnia cautelam et circumspectionem debitam negotiis pertractandis adhibere. Praelatus enim vel rector fratrum tu cum sis, licet in minimo gradu, discas ex his non statim adhibere fidem his, qui ceteros deferre consueverunt, nec proximorum suggestionibus quibuslibet in patrocinium conductis semper velle acquiescere. Nec faciliter accusationem adversus approbatos recipias, quia ex his disciplina omnis prosternitur, et pestilentibus audacia resistendi confertur, ac vigor destruitur religionis. Sed causam, quam nescis, diligentissime inquiras, vel per teipsum vel per viros iustos et prudentes ac Deum timentes, et sic tandem veritate comperta cum debito libramine sententiam proferas iustam; et sic procul dubio nonnunquam invenies actores causae in causa obnoxios esse. Nempe interdum gravamina indebita superiorum praetendunt, qui censuram monasticae disciplinae

effugere cupiunt; et se pugiles iustitiae ac defensores veritatis inaniter mentiuntur, qui se a correctionibus praelatorum suorum eximere volunt, ac ceteris inaniter praeesse concupiscunt. Sic, sic decet te causam, quam ignoras, inquirere, inventam plene decernere, et impiis hoc, quod contra iustos cogitaverunt, reddere in caput ipsorum, ut sic *gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur* (1). Sic *in insidiis suis capiuntur impii* (2). Sic lapidantur duo senes pleni iniqua cogitatione, qui Susannam in Domino confidentem lapidare cupiebant (3). Sic perit Aman, hostis et adversarius Iudaeorum impiissimus, qui per iniquas regi factas suggestiones populum Dei perire laborabat (4). Sic et Saul superbissimus gladio proprio occubuit, qui iniuste persequi proximum non formidavit.

DISCIPULUS: O omnium piissima moderatrix causarum, aeterna sapientia, qui electis tuis et bona et mala in bonum convertis, hoc solummodo mihi humillimo famulo tuo in hac materia faciendum aestimo, recurrere scilicet ad orationis praesidia corde devoto. Igitur, o Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, peto humiliter, ut miserearis populo tuo et hereditati tuae, et da pacem cordium et tranquillitatem temporum in diebus nostris; sed et his, qui oderunt pacem, miserere propter nomen tuum benedictum! Infunde eis, quaeso, spiritum bonum, ut ab erroribus suis resipiscant, et ad unitatem et pacem redeant, ut tibi omnes in gremio sanctae matris Ecclesiae catholicae unanimiter serviamus, et ad civitatem gloriosam caelestis patriae pervenire valeamus. Amen.

---

(1) Psal. 36, 15.
(2) Prov. 11, 6.
(3) Dan. 13.
(4) Esth. 7, 10.

Capitulum Sextum.

Qualis sit divina sponsa, aeterna Sapientia, et de qualitate amoris ipsius.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum (1)? Si quis solutionem verbi audire desiderat, aures nunc praebeat divini amoris. Da amantem, da singulari amore ferventem, et intelliget quae dico. Ex amore enim quamvis loquentem non amans, quia non interno gustu vim amoris percipit, sed verba tantum resonare audit, ebrium potius quam sobrium aestimabit. Et bene quidem ebrium, sed non a *vino, in quo est luxuria* (2), sed in quo est spiritualium exuberantia gaudiorum. Nobis igitur tacentibus, qui a tali amoris supereffluentia adhuc longe distamus, prope autem fieri toto corde desideramus, animus amorosus in medium procedat, mentis in affectum divinum prorumpat, dicatque nobis modum, qualiter a dilecto praeventus, et quomodo ad amorem ipsius tractus sit, ut simul ex hoc pateat, qualis sit ex dilecto dilectus; nec se occultet nimium, quia amor intensus seipsum etiam prodere consuevit invitus.

Venite, inquit animus amorosus, *audite, quanta fecit* Dominus *animae meae* (3). Cum me florens iuventus et recens animus tempore vernali ad prata virentia, et florum diversa germina, cum sodalibus coaevis utriusque sexus ad perfruenda desiderata solatia dulciter invitaret, a plerisque inter diversos ludos vox lasciviens perstrepebat. Caput enim moventes, manibus plaudentes, et velut arietes ovium exsultantes, saltus quosdam dabant, sicque tripu-

(1) Cant. 5, 9. (2) Eph. 5, 18. (3) Psal. 65, 16.

diando aiebant: *Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae, et non est refrigerium in fine hominis; et non est, qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, et post haec erimus, quasi non fuerimus. Venite ergo et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos repleamus, et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec est sors* (1). Talia, inquam, et similia dicentes, frenum concupiscentiae laxabant, et flores, quos poterant singuli, carpebant. Ego autem cum paululum in meipso substitissem, et, quidnam facerem, in animo meo haesitarem: Ecce flores humo nati, quos vernali amoenitate decoros videram et recenter virere conspexeram, subito arefacti deciderunt, et decor omnis perierat.

Cuius novitate visionis stupefactus, et in me reversus, coepi deliberare, quod nullum ex floribus caducis vellem adamare, quos tam brevi tempore florere et extemplo arere conspexeram. Quadam igitur die dum animus inquietus circumquaque aspiceret, et velut hinnulus umbrosum locum peteret ad quiescendum, fervorem declinans meridianum: Ecce e regione in summis excelsisque verticibus apparuit quasi flos campi conspicuus et ad videndum delectabilis, omnibusque, quos antea videram, floribus incomparabiliter pulchrior apparebat. Ad quem videndum cum festinassem: Ecce subito immutatus non comparuit; sed quasi dea totius pulchritudinis ante me stetit, quae velut rosa rubens et candore niveo refulgens, sole clarius rutilabat, et eloquia pulchritudinis dabat. Haec cunctorum in se summam

(1) Sap. 2, 1-9.

optabilium perferebat, odoreque suavissimo ad modum pantherae longe lateque diffuso circumquaque ad amorem suum cunctos trahebat, voceque dulcissima sic dicebat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini! Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei* (1).

Quibus auditis steti attonitus, fixisque oculis ad terram obmutui. Stupor enim circumdederat me de tantae pulchritudinis immensitate, ut omnino respondere non possem. Quae clementer manum extendens cor meum tetigit, et ad loquendum confortavit. Apertisque oculis in eam curiosius intendebam, et haec tacitus in corde meo volvebam: Non est huic similis super terram, in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. Dixique intra me: Ecce vere abyssus amoris, abyssum nunc reperi totius pulchritudinis, quia quod diu quaesisti nunc invenisti, quinimmo, ultra quam cogitare potuisti, reperisti.

Sicque tandem ad eam conversus, cordis in iubilo dixi clara voce: O pulcherrima totius universitatis omnium creaturarum, quae ex animo laetabundo conditoris universorum prodiisti, edicito nobis nomen et progeniem tuam, utrumne condigna sint et congruentia tantae formositati. Ipsa autem vultu sereno, micantibus oculis, labiis mellifluis verba depromebat, quae auditum corporeum penetrantia, ad cordis triclinium velut sagittae igneae pervolaverunt; et ad animam amoris dulcedine liquefactam sic dicebat: *Quoniam vir desideriorum tu es* (2), ideo thesaurum absconditum cunctorum desiderabilium, punctum et circumferentiam omnium concupiscibilium, longitudinem, latitudinem, sublimitatem atque profundum universorum amabilium veni ostendere tibi.

---

(1) Eccli. 24, 26, 24. (2) Dan. 9, 23.

Imprimis ergo rationem et interpretationem nominis mei scire si vis, Sapientiam aeternam me appellari a terrigenis cognosce, quod utique meae congruit peroptime nobilitati. Nihil enim est in entibus creatis, quod tantum in corde conditoris cunctorumque perfecte amantium dulcius possit sapere. Neque enim sonitus tubae ac fistulae ac citharae, sambucae et psalterii et symphoniae dulcisonae, seu universorum genera musicorum, non philomenae cantus omniumque avium suavissimus concentus aures iuveniles tantum demulcent, nec terrestris unquam melodia vel caelestis harmonia gaudiorum unquam ampliorem praebuere materiam. Sapor nominis mei velut *botrus cypri in vineis Engaddi* (1): Cypri cum nardo, nardi et croci, fistulae et cinnamomi cum universis lignis Libani: Myrrhae et aloë cum omnibus primis unguentis aromatibusque pretiosissimis (2). *Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam; et quasi balsamum non mixtum odor meus* (3). Et haec quidem de nominis mei interpretatione.

Porro quia amor tuus alta petit, nec conquaestrium et panificum vel unguentariorum aliorumque similium ac dissimilium amore contentus, ingenuitatem ac praeclaritatem generis mei inquiris, ad haec quidem respondere non immerito rationis ordo exposceret, si facultas adesset et impossibilitas non obstaret. Sed tanta est generationis meae profunditas, ut cunctorum mortalium ingenia excedat. Ego namque sum illa, de qua scriptum est: *Generationem eius quis enarrabit?* (4). *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam* (5). *Et egressus* meus *sicut a principio, a diebus aeternitatis* (6). *Ego*

(1) Cant. 1, 13.
(2) Cant. 4, 13-14.
(3) Eccli. 24, 21.
(4) Is. 53, 8.
(5) Eccli. 24, 5.
(6) Mich. 5, 2.

quasi fluvius diorix, et sicut aquaeductus exivi a paradiso (1). *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Necdum erant abyssi, et ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terrae: Quando praeparabat caelos, aderam. Quando certa lege et gyro vallabat abyssos: Quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: Quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram, cuncta componens. Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum* (2). *Beatus homo, qui audit me, qui vigilat ad fores meas cotidie, et observat postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino* (3). Sic igitur dilectus in dilecto semper eram manens, ac dilectus ex dilecto semper manans, in dilecto ab aeterno ludens eram. Habes igitur, quae sim et unde processi. Porro quid sim in essentia, quantum ad plenam comprehensionem, ab huius perscrutatione iubet ratio quiescere, cum natura ordinata non tendat ad impossibilia.

DISCIPULUS: Dum haec summo cum affectu audio, vix meipsum prae cordis iubilo capere valeo, totusque spiritus meus vehementer exsultat in Domino. *O quis mihi det te* dilectum sponsum ex dilecto genitore progenitum, *ut inveniam te foris et deosculer te, et iam nemo me despiciet!* (4). Sed obsecro te, dilecte mi, quid causae est, quod tam crebro

---

(1) Eccli. 24, 41.
(2) Prov. 8, 23-31.
(3) Prov. 8, 34-35.
(4) Cant. 8, 1.

rebus te corporalibus in amore tuo comparare consuevisti, cum tamen secundum verba tua et secundum sententiam omnium bene philosophantium, nec corpus sis nec virtus in corpore?

SAPIENTIA: Rerum altissimarum veritates in sua simplicitate acceptas intellectus humanus capere non potest; et ideo necesse est eas tradere per imagines et consuetas similitudines. Pulchritudo quippe mea tanta est, ut si quis magnis cruciatibus multis annis se exponeret, ut vel ad ictum oculi me in decore tanto conspicere posset, absque omni dubio labor praemio minus adhuc responderet.

DISCIPULUS: Ex quo, ut asseris, de supercaelestibus et divinis rebus aliter loqui non possumus, nisi per modum rerum corporalium, liceat simplici discipulo, magistro prudentissimo verbum simplex proponere, cuius declarationem cupio habere. En species caeli, gloria stellarum, atque venustas campi ex multitudine perpenditur florum. Sic nonnunquam decor iuvencularum seu sponsarum terrigenarum ex ornatu attenditur vestimentorum. Unde et auro tectae, gemmis coruscantibus infusae, subtilibus indutae, sertis micantibus redimitae, pulchre procedunt. Tu vero quid?

SAPIENTIA: Prudens pictor, ubi subiectum deficit, accidentia multiplicare consuevit. Et quod maculosum esse cognoverit, rubrica linire festinabit, ut ex sophisticata forma ignoretur, quia latet anguis in herba. Ridere apparenter cogit, quod nec sensibile quidem est; sicque oculos humanos decipit, dum, quod deforme sub tegmine est, colorifero splendore perliniens reddit formosum. In quo tamen magis artificis quam artificiati praeconium iure praefertur.

E regione vero sol radiorum suorum circumdatus fulgoribus, aliena non eget mendicata formositate, quem in essentia sua luminositas tam immensa investivit. Sic, sic sapientia aeterna *sol iustitiae* (1), quinimmo ipsa, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, *lucem habitans inaccessibilem* (2), *in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genitus* (3), fulgoribus immensissimis circumdatus, aliena forinsecus compositione non eget.

Qui est totum, quod est, quod pulchrum est, quod speciosum, quod decorum. Cui idem est esse, quod pulchrum, quod delectabile esse. *Omnis* nimirum *gloria eius ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietate* (4). *Amictus* namque *lumine sicut vestimento* (5), tanta ex omni parte luminositatis pulchritudine respergitur, ut sui fulgoris excellentiam oculus humanus ferre non posset. *Non enim videbit me*, inquit, *homo et vivet* (6). Denique omnis creaturae decor, quid aliud est quam quoddam speculum, in quo summi opificis relucet magisterium? Quodsi lilii, ut asseris, decorem, eiusque indumenti nitorem miraris, cur non miraris liliorum auctorem? Si venustus aspectus ac decenter ornata facies oculis tuis mundanis quondam sic complacuit, o quam digne prae cunctis ineffabiliter pulchra et per essentiam decora cordis oculis placebit! Nempe si recte inspexeris, ornata cuncta cum suis ornamentis ipsius sunt praeconia, qui substantiam cum qualitate et ceteris generibus produxit in esse. Patet igitur, quod ea, quae te vanitatis tempore ad creaturam trahere solebant, potius ad horum omnium creatorem trahere debebant, absque eo, quod intrinsecus latet.

---

(1) Mal. 4, 2.
(2) 1 Tim. 6, 16.
(3) Psal. 109, 3.
(4) Psal. 44, 14.
(5) Psal. 103, 2.
(6) Exod. 33, 20.

DISCIPULUS: Et quid est hoc quod intrinsecus latet?

SAPIENTIA: Simplicissimae essentiae meae iucundissima visio, supersubstantialissimae Divinitatis meae peroptata fruitio, interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. In his enim cunctis beatorum spirituum agminibus tanta datur iucunditas, tanta gaudiorum materia geminatur, ut prae amoris magnitudine et exsultationis immensitate, *mille anni* sint *ante oculos* eorum *tamquam dies hesterna, quae praeteriit* (1). Siquidem tota caelestis frequentia, continue cernens tot mirabilia, novaque audientes cantica, oculos iugiter in me defixos habent. Stant suspensis vultibus, et cordibus amore flagrantibus in me intendunt. Pedes habent obliquos quasi ad iubilandum. Faciem revelatam ad contemplandum (2). Sicque sursum corda levantes, inhiant ore cordis pariter in superna fluenta fontis vitae.

O quam beatus, qui huic felicissimae iucunditati et iucundissimae felicitati interesse meruerit: Qui choris intererit caelestium puellarum, quae mecum choreas ducentes in caelestibus iucundantur feliciter: Ubi chorus sacratus virginum post me canentes cursitant, hymnosque dulces personant. En unicum amoris verbum de labiis caritatis meae egressum ad cor amorosum, omnium superat angelorum melodias, omnium citharoedorum citharizantium harmonias, omnia denique instrumenta musicalia excedit ac symphonias. Eia respice quaeso mentis nunc in iubilo, quam habilis sim ad amandum, quam affabilis ad amplexandum, et ad perosculandum animae sincerae quam summe delectabilis. O dulce et pretiosissimum osculum, labiis mellifluis affectuose impres-

(1) Psal. 89, 4. (2) 2 Cor. 3, 18.

sum! O quam beata anima, cui vel in tota vita sua saltem unica vice fuerit hoc concessum! Quodsi propter hoc etiam mori contigerit, grave non erit.

Sum denique semper praesto amanti ad reamandum, praesens in choro, praesens in thoro, in mensa, in via, in claustro, in foro, ita ut non sit locus, ubi non sit praesens caritas Deus, ubique amanti per amorem correspondens. Singulare quippe hoc sibi divina sapientia proprium inter cunctas vindicat sponsas, ut ad votum amantis ubique praesens esse possit, et cuncta pro se emissa suspiria, desideria immissa, facta servitia in praesentia norit. Propter hoc *providebam*, ait quidam amator sapientiae, *Dominum in conspectu meo semper*. Et item: *Propter hoc laetatum est cor meum, et exsultavit lingua mea* (1). Rursus, tanta est bonitatis meae praerogativa singularis, ut, si quis ex ea vel modicam guttam ad gustandum susceperit, de cetero omnia huius mundi oblectamenta tamquam stercus reputabit (2).

Amor meus peccatorum sarcinis oneratos exonerat, conscientiam purificat, mentem corroborat, perfectis libertatem donat, et ipsos suo aeterno copulat principio. Quid plura? Qui me sibi in sponsam accipit, meque super omnia diligit, vivit cum tranquillitate, moritur cum securitate, et quodammodo in praesenti gaudia inchoat, quae per aeterna saecula durant. Multa dicimus, et verbis deficimus, quia eminentiam amoris mei nulla lingua hominum vel angelorum sufficit enarrare. Experiri potest, fari non potest; haec tamen quasi ex abrupto proiecta potius quam dicta sint de qualitate divini amoris.

DISCIPULUS: O immensum cordis mei tripudium! Numquid enim non vere ista est hora salutis,

---

(1) Psal. 15, 8-9. (2) Phil. 3, 8.

hora laetitiae spiritualis, tempus visitationis et gratiae, dies, quam fecit Dominus, in qua melliflui facti sunt caeli? In quà timor transiit in amorem, et familiaritatis tuae grata experientia fiduciam praestat loquendi pleniorem? Aperiam igitur os meum, et secreta, quae tanto tempore in cubili cordis mei clausa tenueram, tibi nunc reserabo. Vulnusque amoris dudum inclusum detegam in corde languentis. Tu scis, expertissimum etenim alloquor in arte amandi, quia amor intensus socium non patitur, non sustinet pluralitatem. Regna quippe et amor sicut olim audivimus, socios non bene compatiuntur. Nam et fluvius magnus in plures divisus rivos minoratur. Sic et amor, dum socios quaerit, minuitur et deficit.

O unicus et singularis cordis mei possessor, nunc ita se habet ad te cordis mei impetuosus affectus, ut unice te diligens, vicem sibi rependi singularis affectet amoris. O quam optabile hoc mihi esset, ut me ex nomine cognosceres, cognitumque singulariter diligeres, ac dilectum inter specialissimos amicos tibi ipsi eligeres. O Deus meus, utinam oculis clementiae tuae gratiose me respiceres, omniaque opera mea dirigeres, et familiarissimum me amicum tibi ac servum faceres. O quam laetus exsisterem, si haec mihi iuxta votum provenirent. Ego certe Croesi divitias et omnium hominum delicias me habere aestimarem. Nunc autem, quod et cum gemitu cordis dico, te solum et unicum diligens, communibus amoris legibus cogor contentari. Quaeso, omnes pii amatores, vestras aures praebete mihique condescendite, et inter me et dilectam diiudicate! Ecce dilectus meus unicus thesaurus mihi est, et amoris speculum ipsum mihi constitui.

Facilius possent saxa molliri, quam mens mea eius ab amore revocari. Quodsi me dimiserit, ego eum non dimittam vivit Dominus. Si spreverit, ego fidelis et

constans exsistam. Velut turtur solitaria sedebo, quousque dilectum recuperabo. Ego nullam recipiam consolationem; ad nullum intendam consolatorem. Quinimmo onerosi erunt mihi. Ipse solus est, quem quaero; ab ipso solo consolari potero. Pro ipso *elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea* (1). Si abierit, cor meum secum trahit; si redierit, os meum iubilo replebit. Sive comedam sive bibam, vel aliud quodcunque faciam, ipse mihi praesens est. Ipse est, quem intendo; ipse est, quem requiro. Insipiens factus sum, amor me coëgit. Ecce dilectum diligere non exspectavi, quousque senio frigescerem, ac viribus fractus deficerem, quousque decor vultus rosei deperiret, et rugae faciem operirent, et sic exosus factus et amori terreno ineptus, necessitate cogente ad ipsum amandum confugerem, qui aliam, quam diligerem vel a qua diligi cuperem, non haberem.

Quinimmo cum in flore iuventutis aetas adhuc tenera longaevitatem annorum promitteret, et sociorum grata consortia adessent, et naturalis complexio amori arrideret, multosque rogantes ac retrahentes haberem, his omnibus spretis, violas pulcherrimas mihi dulciter arridentes contemnebam, facieque aversa cum gemitu aversabar. Laetus omnia proieci, et te mihi mercedem amoris constitui. Ad amorem tuum confugi, teque mihi in dilectum elegi. Numquid igitur, o amor meus, gaudium meum, et dulcedo animae meae, impium esset, ut me singulariter diligeres, et amori tanto tantillum responderes, non quidem prae cunctis solum diligendo, sed inter cunctos amorem familiarem impendendo?

Hoc est pro certo, quod me angit ac sollicitat, quia tot sunt corda te ardentissima caritate amantia, quae me in amore et omni amorosa exhibitione ante-

(1) Iob 7, 15.

cedunt. Heu heu, quid ergo erit de me? Timeo enim vehementer, cum inter lilia liliorum amator pasceris (1), o me miserum, et redolentiam eorum odoraris, ne forte cardui vel urticae obliviscaris, et sic damnum amoris tui aliorum ex amore incurram. Ignosce, o dilecte, quod sic loquor. Hoc enim, ut nosti, sibi vis intensi amoris vindicat, ut legem verbis imponere nesciat, nullumque nisi dilectum cum dilecto occupatum advertat. Valde, si audeo dicere, sparsus amator es. En *sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus.* Verumtamen *una est columba* (2) tua, *perfecta* et immaculata tua, quae ceterorum omnium sibi vindicat principatum. Denique in omnibus finibus Israël quaeruntur adolescentulae virgines, et ab Isaac sola eligitur, et ad regem introducitur. Sic ad Assuerum multae introductae, una omnibus praefertur, et ad imperii consortium sublimatur. O una, quae una es, et secundam non habes; sed et quam feliciter creata, quam eximie dotata es, ut unicum illum thesaurum ad cordis votum possideas. Quis mihi det saturari saltem de micis, quae cadunt de mensa reliquiarum tuarum?

SAPIENTIA: Valde in excessu mentis ex amore positus es, quod et verba affectuosa et facies lacrimosa ostendit. Sed nunc, si tibi ostenderem, quod te singulari amore diligerem, iuxta omne desiderium cordis tui, quid facere velles?

DISCIPULUS: Te millies amplecti vellem, et decies millies affectu gratulabundo perosculari cuperem, et quidquid unquam adversi amor sustinere praeciperet, libens cuncta ferrem. En anima mea, Domine mi, ad verba tua tota suspensa erigitur, et

(1) Cant. 6, 2. (2) Cant. 6, 7, 8.

verbum consolatorium praestolatur. O desiderium animae meae, loquere ad cor servi tui. O pie consolator, cur me provocas? Cur animam amore languidam differendo affligis? En amor impatiens est, nec diutius exspectare potest. Nam *desideria dilata affligunt animam* (1).

SAPIENTIA: Amor tuus licet intensus sit, caecutiens tamen aliqualiter videtur esse, qui de divinis et supercaelestibus per modum terrenorum sentiendum aestimas; et ideo quasi per caliginem iudicas. Sic autem non est. Nimirum Dei sapientia amor est. Unde sicut essentia sua in cunctis exsistens non partitur, vel minor ex hoc in singulis redditur, sic nec amor suus, licet cuncta diligat, quae fecit, minoratur. Sic enim singulis intendit, ut a cunctis vacare videatur, et sic cunctis praesidet, ut a singulis vacare putetur (2). Nec est sic imaginandum, quasi tu iuvenis amorem meum praeveneris, et propterea a me diligi ex iure velis. Sed revera e converso est. Etenim, quia te ab aeterno dilexi, et te ex nomine novi, et affectu singulari praeelegi, ideo diligis, licet ex consequenti effectus praedestinationis effectum requirat dilectionis. Unde sine praeiudicio omnium ceterorum amantium, hoc firmiter teneas, me circa te omni tempore et hora tam amorose esse intentum, acsi cunctis postpositis tibi soli vacarem, ut amori tuo singulariter responderem.

DISCIPULUS: *Felix sermo et omni acceptione dignissimus* (3). *Nunc anima mea magnificata est prae*

---

(1) Prov. 13, 12.

(2) S. Bernardus, sermo 69 *in Cant.* n. 2: Primo quidem, quod habeat in natura simplicissima sponsi divinitas quasi unum respiciens multos et quasi multos unum. Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus.

(3) 1 Tim. 1, 15.

omnibus diebus vitae meae (1). Quamobrem una mecum iucundetur simulque congaudeat et congratuletur orbis terrae et plenitudo eius pro dilecti tam pio amore et tam immensa et optabili dilectione. Eia, dilecte mi, *averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt* (2). Cuius namque cor tam ferreum saxeumque pectus verba tua scintillifera audire posset, et non subito amoris tui ignem conciperet? Quis denique tam frigidus vel tepidus exsistit, qui, si te in tanto decore coram oculis cordis sui sisteret, suique amoris oculos frequenter in te defixos haberet, et *ignitum eloquium tuum vehementer* (3) saepius audiret crebriusque eadem revolveret, qui non intimi amoris facula inardesceret? Sicut enim sol ad hemisphaerium nostrum ascendens et circulum meridianum describens, terram suo adurit calore: Sic colloquium tuum flammeum corda frigida suo accendit in amore.

O *omnes sitientes*, *venite* nunc *ad fontem* (4) totius amoris, et ad fructum desideratum iucundissimae dilectionis! Quare expenditis et res et corpus simulque animam periculo aeterno exponitis, et tamen in vanum laboratis? Nam in hydropica ariditate persistitis. Os aridum propter saporem carneum tenuem in eo relictum, dentibus vestris roditis. O miseri, vere miseriam amatis, dum hoc, quod quaeritis, iuxta votum non invenitis. Cernite, quaeso, cernite, quam bonum et quam iucundum sit summum bonum diligere, supremam sponsam adamare. Redite amatores dulcissimi ad cor, et perpendite, quam beatus, qui relictis omnibus in hanc consentit, eique soli cuncta servitia amori debita corde devoto impendit. Quanta putatis hic consolatione atque

---

(1) Iudith 12, 18.
(2) Cant. 6, 4.
(3) Psal. 118, 140.
(4) Is. 55, 1.

internae suavitatis dulcedine, sibi quidem soli nota, ab oculis autem cunctorum viventium abscondita, perfruetur?

Feliciter proinde, o delicata amatrix aeternae sapientiae beatissima Agnes, virginum gemmula pulcherrima, de tanti sponsi praeconio te iactasti dicens: Annulo suo subarravit me, et immensis monilibus ornavit me. Mel et lac ex eius ore suscepi, et sanguis eius ornavit genas meas (1). Vere fateor, dilecte mi, quod sermo tuus dulcissimus, igneo amore respersus, expergefecit dormitantem animam meam. Liquefecit et refecit tristem mentem meam. Illuminavit tenebrosa, clausa reseravit, et totum propositum meum ad hoc deduxit, ut totis visceribus cupiam et ego dignus inveniri tua dulcissima desponsatione. Sicut enim audivimus, sic experti sumus, quia non est personarum acceptio apud te. Cunctos ad amorem tuum invitas, omnes satias, et eis pocula salutis propinas.

Adiuro vos omnes, o aeternae sapientiae ardentissimi amatores, huius divinissimae sponsae felicissimi dilectores, ut me vestris precibus ad ipsam dignemini promovere. Iam nunc, o corpus et anima, *quem sustinetis?* (2). Quare negligitis? Cur tam diu a tam salutari proposito retardatis? Deponamus veterem hominem, novum induamus, et torporem negligentiae nos a tantis impedientem bonis excutiamus. Ut quid etiam nati sumus? Nos enim vita vivimus tantum. Surgunt simplices illitterati indocti, et foecundissima amoris plenitudine inebriantur; et nos subtilia texentes, ac veritatis viam ceteris demonstrantes, eosque ad poculum internae suavitatis invitantes, in ariditate mentis perduramus. Eia agite, confratres et consodales; quia potens est Deus de

(1) Antiphona in festo s. Agnetis. — S. Ambrosius, sermo 90.
(2) 2 Mach. 7, 30.

lapidibus istis ignem procreare divini amoris (1). *Quis scit, si convertatur* et salutationem gratiosam poscentibus proiciat? Quis scit, si benignam *post se relinquat benedictionem* (2), ut et nos miseri participes amoris ipsius effecti, inter dilectos et electos eius sortem habere possimus?

Delectat valde huius speciosissimae memoria sponsae, eiusque praeeminentiam ac dignitatis praerogativam recolere singularem, *sicut musica in convivio vini* (3), et sicut odor suavium unguentorum. Sunt etenim, qui se aliquid putant esse et nihil sunt (4), sed seipsos et incautos quosque decipiunt. O quoties minus cognitum amatur, quod plene cognitum minus curatur! Et cuius praesentia prae amoris vehementia vix exspectabatur, iam habitum ad libitum ex odii magnitudine ardentius eicitur, quam non habitum praestolaretur. Fateor me ista in diebus vanitatis meae curiosius inspectasse, et invenisse hoc, quod in proverbio dicitur: Qui caruere nisi, non sunt oculis mihi visi.

Quocunque enim me vertebam, defectum aliquem amori contrariantem inveniebam. Nam si aderat pulchritudo corporis, deerat formositas mentis. Subiectum delicatum nonnunquam morum incompositione vel inepta quadam et amori contraria stoliditate peccabat. Nunc aquilum nasum aut simum, nunc dentes retortos aut crines abrasos aut sordidas vestes habebat. Quodsi haec ad votum erant, egestate multa amori contraria premebatur. Quodsi opulentia et pulchritudine florebat, rusticitas generis ipsam odiosam reddebat. Hanc melancholia, hanc cholera ira plena, hanc fama ecliptica denigrabat. Ubi vero haec omnia aderant congruenter, possibilitas propria de-

---

(1) Luc. 3, 8.
(2) Ioël 2, 14.
(3) Eccli. 49, 2.
(4) Gal. 6, 3.

erat, vel erat malitia hominum vel detractio linguarum, quae poculum dulce amaritudine quadam perfundebant, et me ab huiusmodi amore refrangebant. Animus meus amorem spirans, rosam habere spinam conquerebatur; lilia aut violas rusticorum usui ac pecorum pastui deservire sicut principi attaediabatur. Pavonem aurea veste nitentem deformes habere pedes moleste ferebat. Quid plura? Cuncta percurrens, singula maculosa inveni ac defectuosa.

Dixique in corde meo, ab inquisitione amoris nunquam velle desistere, donec amatum omni carens defectu contingeret invenire. Quid multis morer? Ecce nunc abyssus abyssum reperit. Abyssus desideriorum abyssum introivit omnium gratiarum atque perfectionum. Quid enim? *Ecce tu pulchra es, amica mea* (1), suavis ac decora sicut Ierusalem, virtuosa ac generosa. In divitiis cunctos praecellis, in gloria omnes antecedis. Non solum sapiens, sed et ipsa sapientia exsistis. Nec est similis tui in amoris facultate et arte amandi. Nec timore quidem aut pudore sollicitabitur, qui te diligere seu desponsare voluerit.

Familiaritas tua non parit odium vel contemptum, sed quanto amatores tui perfectius te vident, tanto tibi per amorem intensius adhaerent. Nempe caelestis artifex, totius staturae dilecti mei liniamenta ac speciem, plenae artis suae circino descripsit; omne superfluum inde resecans, totius pulchritudinis formam dereliquit, ac in eo summam amoris collocavit. Quis namque est quaeso edicite, cuius mentem propriis oculis oblatam eius pulchritudo avolare non fecerit, cuius auditum eius dulce eloquium non inebriaverit, cuius cor eius amor vi sibi non subiecerit? Omnia eius supereminent eloquio verborum, metro metiri nequeunt. Amantis tantum affectu claudi volunt.

(1) Cant. 1, 14; 6, 3.

et dilectum reficiunt. Et huic omnia mea venumdata gratis eius perpetuo obsequio se deputarunt, iuraruntque per viventem in saecula (1), ab eius beneplacito nolle declinare.

O mi dulcis, quam praedulcis est tua amicitia, quae me vagam extra me non repulit, sed se meo amori mercedem desideratam praebuit! O quam felix affectus mei cibus, cuius gustus omnia suavia reddit amara, amaraque cuncta reddit praedulcia! *Veniat dilectus meus in hortum suum* (2), ibique reficiatur dulciter, quoniam afficit vehementer. Veni, dilecte mi, colligamus simul rosas de rosario. Pomella quoque tibi soli reservata exhibebo, nec prohibebo gustum omnium desiderabilium ibi nascentium. En video dilectum meum stantem trecentis iuvenculis totius decore pulchritudinis delicatissimis vallatum; ipsi quoque induti subtilibus, et unusquisque *praecinctus zona aurea ad mammillas* (3). Coma quoque cuiuslibet fulva velut aurum radios solares reverberat, ut vivae lucis triclinium inhabitare videatur. Ipse autem in medio eorum colore roseo niveo candore vultus infusus relucet. *Nomen* suum *et memoriale* suum *in desiderio animae* (4). O quis mihi det, ut et nomen eius mellifluum litteris aureis super latitudinem cordis mei superscribatur. Quod pro amoris remaneat signaculo, nec ulla unquam de cetero ipsum tollat oblivio. O mi dulcissima felicissima sapientia, peto, ut me a te nec vita nec mors, nec ulla fortunae sors separet, sed permaneat morte fortior noster amor in aevum.

---

(1) Apoc. 10, 6.
(2) Cant. 5, 1.
(3) Apoc. 1, 13.
(4) Is. 26, 8.

Capitulum Septimum.

Quod divina Sapientia amabilis sit pariter et terribilis.

Alio quodam tempore, cum sol esset sub nubilo, qui prius admodum clare refulserat, et gelu noctis ridentibus flosculis silentium imposuisset, procellisque tonantibus *navicula in medio maris iactaretur fluctibus* (1), timor et tremor, inquit discipulus, venerunt super me, et contexerunt me tenebrae. Sedebam solitarius, coepique *recogitare omnes annos meos in amaritudine animae meae* (2). Quodam igitur modo ineffabili, oculo intellectuali proposita fuit visio illa prophetica (3), in qua legitur, quod *throni positi sunt, et antiquus dierum sedit; vestimentum eius quasi nix candidum, et capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flammae ignis* accensus. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius, et ex ore eius gladius ex utraque parte acutus procedebat* (4). Stupefactus igitur et nimio terrore percussus, *inhorruerunt* omnes *pili carnis meae* (5). Omnia namque peccata mea et delicta iuventutis meae a parvo usque ad magnum, cunctis cernentibus coram me aperte videbam. Cogentibus autem nuntiis et festinantibus, moerentem ac dolentem ante iratum iudicem perduxerunt.

Cum vero rex in imperatoria maiestate sedens, faciem elevasset, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, corrui, et ad terram usque prolapsus

---

(1) Matth. 14, 24.
(2) Is. 38, 15.
(3) Dan. 7, 9.
(4) Apoc. 1, 16.
(5) Iob 4, 15.

caput invalidum super brachium prout potui reclinavi. Cumque ad horam nimio timore correptus tacuissem, tandem ad meipsum rediens, cum gemitu multo haec intra me dicebam: Vae vae ambulantibus post concupiscentias cordis sui! Vae omnibus operantibus iniquitatem; quia si cognovissent futuram eis paratam poenam, atque strictam irati iudicis sententiam contra ipsos proferendam, et quomodo decrevit hic incipere a sanctuario suo (1): utique melius sibi a peccatis caverent. Quin potius omnem poenam temporalem sustinerent, quam oculos iudicis huius offenderent.

Heu Dominator Domine, quam terribilis est facies tua nimis, quam procellosa et acutissima verba tua! Totus tremo ad tantam indignationem. O visio horribilis et metuenda nimis, et summa cum diligentia praecavenda! Rogo et obnixe te flagito, rex omnipotens, per tuam immensam bonitatem, tuere me, quaeso, ab hac visione horrenda! Fac mihi hoc in tempore quidquid tibi placuerit! Impone leges, adauge tribulationes, adversitates multiplica, infirmitates centuplica! Quidquid tibi placuerit, libentissime feram, hoc solum supplicans, ut a facie furoris tui parcere mihi digneris. Siquidem tantus est mihi timor Domini, ut etiam cum solum levis suspicio occurrerit, quod culpis meis exigentibus faciem tuam paulisper avertas a me, et quod te iudicem meum offenderim, ut omnino quiescere non valeam, sed totus prae dolore et moerore in memetipso contabescam. Et quomodo possem sustinere illam terrificam faciem plenam ira et indignatione?

Vae miseris et obduratis peccatoribus! Vae infernalibus et damnatis animabus, ac perversis spiritibus, qui hanc faciem furibundam in sua terribili disposi-

(1) Ezech. 9, 6.

tione, absque omni spe gratiae visuri sunt, auditurique illud horrendum tonitruum: Ite, maledicti, in ignem aeternum! O maledictum aeternum! O *opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur* (1). Quis cogitare sufficiat diem istam tremendam? Denique tam intolerabilis est paternae faciei tuae ad emendandum, non ad perdendum filios tuos severitas stupenda, ut inferno similis esse videatur. Quis ergo tuam faciem terribilem omni spe privatam videre poterit? Suadeo proinde omnibus hominibus maxime peccatoribus, ne se silentio tuo usquequaque committant. Taces etenim et te peccata videre dissimulas. Cum vero arripuerit iudicium manus tua, reddis ultionem hostibus tuis, et his, qui oderunt te, retribuis (2). Quomodo quaeso, o piissima bonitas, verum esse poterit te esse amabilem, cum sis tam terribilis?

SAPIENTIA: Terribilis quidem sum peccatoribus, amabilis autem iustis ac me diligentibus. *Ego Deus, qui non mutor* (3); secundum tamen qualitatem et diversitatem me aspicientium dissimilis videbor. Electos meos in hoc mundo timorem pariter et amorem iugiter habere expedit, ut et timor semper animam sollicitans a noxiis retrahat excessibus, et amor laetificans erigat ad superna.

---

(1) Ier. 20, 11.
(2) Deut. 32, 41.
(3) Mal. 3, 6.

Capitulum Octavum.

De vicissitudine visitationis divinae, et qualiter anima debet se tunc tenere.

Amantissimus Domini habitabit in eo confidenter, quasi in thalamo tota die commorabitur, et inter humeros illius requiescet (1). Haec et his similia, quae perfecto amori alludunt, verba dum aure cordis percipio, vehementer suspiro, cum me tam longe a fructu desiderato huius amoris esse cognosco. Nam subtractio dilecti contra votum diligentis, quam saepius me expertum esse fateor, praecipuus mihi videtur in amore labor et dolor. Quantum enim quis de dilecti laetatur et gaudet praesentia, tantum de eius absentia tristatur et dolet. Et haec est illa insipida amoris regula nimium afflictiva, quam in terreno amore declinare volui, et nunc ipsam quoque in amore divino inveni.

Hoc est ergo, quod habeo adversum te, mater pulchrae dilectionis aeterna sapientia, impugnans tuum amorem, quem nudius tertius tantum extulisti. Vicissitudo namque praedicta non solum in terreno amore, verum etiam in tuo videtur locum habere. Frequentissime enim dum mens amantis in thalamo cordis quietius te habere putat, et foedere sempiterno brachiis amoris te sibi constrinxisse inseparabiliter aestimat, subito, qui putabaris adesse, nescio quo aufugis, et qui aestimabaris constrictus esse, longius recedis, et non compares, sed animam dolore plenam post te derelinquis. Et dum cor amantis post te ardet, anima te sitit, et corpus infirmum lan-

(1) Deut. 33, 12.

guescit, te solum unicum cordis gaudium totis cupiens visceribus dissimulas et quasi aspernando nullum omnino das intelligibile responsum. Quid est hoc? Numquid non impium ac crudele est nimium, condescendere nolle ei, quem ipse vulnerasti?

SAPIENTIA: Magnitudo et pulchritudo cuiuslibet creaturae poterit pro me respondere.

DISCIPULUS: Numquid sufficit hoc animae amorosae? Licet enim tuam potentiam, sapientiam et bonitatem inibi relucere indubitanter cognoscat, et te per hoc quasi per quoddam vestigium summe pulchrum et bonum esse intelligat, longe tamen adhuc distat a suo fine desiderato.

SAPIENTIA: Si hoc non sufficit, saltem de sacra scriptura contenta sit, ubi me sufficienter, si diligens fuerit, poterit invenire. Quamlibet paginam pro littera amorosa, tamquam in amoris solatium per me sibi transmissam suscipiat; quia quaecunque scripta sunt, ad consolationem ipsius scripta sunt, ad sublevationem spei et instaurationem caritatis. Nonne haec tibi videntur argumenta dilectionis amanti sufficere debere?

DISCIPULUS: O totius magistra amoris ac dilectionis, quare sic loqueris? Numquid non es verus amator? Numquid non et praeceptor amoris? Et, ut melius dicam, certe amor ipse es. Igitur vere et indubitanter nosti conditiones cordis amorosi; et ideo tam alieno modo loqui de amore te non convenit. Tu scis, o amor aeterne, quia amanti nimis parvum est, quidquid hoc est, quod suum amatum non est. Nihil enim amanti sufficit nisi ipsum amatum, cum praesens fuerit. En *factus* es *in corde meo quasi ignis aestuans, claususque in ossibus meis, et deficio, ferre*

non sustinens (1). O amantissimum amoris obiectum, tu cordis mei tam potenter possides domicilium, te in armariolo cordis mei tam delicate teneo repositum, et me totum sic amor tuus sua constrinxit vi, ut etiamsi linguae hominum et angelorum cunctorum te mihi praeconio singulari extollerent, et multa de te narrarent, seu scripta amorosa demonstrarent, minime proficerent. Quin potius amantis affectum interdum impedire possent, implere autem desiderium non valerent. Sed illuc tota pergit cordis mei intentio, ut te solum unicum cordis thesaurum inveniat, et in te solo vero bono iugiter conquiescat. Modica horula absque tua felicissima praesentia mihi anni unius spatium videtur habere. Unde, pia dulcedo, noli, quaeso, indigno famulo tuo esse aliena! Nempe cum unica die te mihi solito magis alienum sentio, mille annorum curricula longumque Platonicum annum me cum taedio multo exsulasse deploro. Tu es enim paradisus voluptatis, tu paradisus supercaelestis. Quinimmo omni paradiso optabilior. Nam te iuxta votum habere, est perfecte beatum esse.

Nunc igitur si pietate atque clementia cunctos decet esse ornatos, qui in potestate positi sunt, quanto magis decet maiestatem tantam miseratio magna et compassio multa? Quare ergo, o benigna sapientia, clementer non consideras misera illa amorosa corda, quae ad te sursum respiciunt, profundissimos gemitus emittunt, lacrimas fundunt uberrimas, clamantes post te plena voce: Revertere revertere, dilecte mi, ut intueamur te? Redde nobis laetitiam salutaris praesentiae tuae. Flentque inconsolabiliter timentes, ne forte offenderint faciem desiderabilem bonitatis tuae. Sedent solae ac solitariae, quoniam amaritudine repletae sunt; et in secreto cubilis sui

(1) Ier. 20, 9.

secum confabulantur, et animo desideranti et suspiranti haec vel similia dicunt: O quando veniet? Quando redibit? Putas videbo? Putas oculi cordis mei videbunt, in quem oculi angelici prospicere concupiscunt?

Mihi quoque omnium te amantium minimo res haec tristis nonnunquam accidit, ut dum dilectus meus me inscio ac dulci sopore oppresso abiisset, ego flens dicebam: Heu, quo abiit dilectus meus? Heu, ubi requiram illum? Putasne videbit, quod eum alliciat, affectuumque eius gressus ad me retardet? Heu proh dolor, quare non vigilavi? Quare non tenui illum? Mi dulcis, ostende te mihi! Redde te mihi! Laedit namque nimis tua absentia, quem laetificavit praesentia. Vicissitudo accessus ac recessus me affligit vehementer. Indica ergo mihi umbraculum, sub quo cubas, refrigerium quaerens, aestum devitans, quia ascendit sol, ne iterum extra me vagari incipiam, qui me in te repereram. Heu, quam diu hac carebo, qua sola habita cuncta desiderabilia possiderem? Ad me eam supplico, mi dilecte, declinare compellat impetus motus cordis mei ad te. Huius namque motus violentia me meipsa spolians, ac tibi deferens, cuncta iocosa mihi reddit onerosa. Denique et meipso carens oneri mihi sum. Haec piis oculis intuere! Iam enim deficio, amplius ferre non valeo. Da ergo te, ut in te me recipiam, qui me per te perdidi. O mira virtus amoris! Ego vere dico, *quia fortis est ut mors dilectio* (1). Etenim cor mihi, o amor, abstulisti et dilecto dedisti, eique ipsum tam inseparabiliter conglutinasti, ut me certis temporibus quodammodo reliquisse putetur, et iam in dubium vertatur, cuius sit, utrum subiecti quod vivificat, vel obiecti quod aestu fervidissimo amat.

---

(1) Cant. 8, 6.

O cor, dic mihi, quaeso, cuius sis, utrumne illius, quem totis amas visceribus, vel illius, cui vitam das. Si meum es, o quam parum mecum es, o quoties alibi es! Nescio, ubi es, si non es cum eo, cuius es. Ego vero nulli tam libere te dimitterem nisi dilecto, quem plus quam vitam propriam diligo. Et quia eum plus quam me diligo, ideo tanto magis meum es, quanto plus eius es, cuius et ego. Namque non solum te sibi approprias, sed et me totum quoque simul tecum trahendo sibi vindicas cum effectu. Si ergo eius es, immo vero quia eius es, non solum creatione et redemptione ac ceteris similibus causis, sicut et aliae rationales creaturae, sed et eius es quodam singulari privilegio, scilicet voluntaria ac libera donatione. Siquidem tu es illud iocale, quod inchoantibus amorosae iuventutis meae temporibus, omnibus mundialibus terrenisque amoribus privatum, sibi pro arrha amoris, pro iocali dilectionis, et pro signo caritatis obtuli, et ipsum sui nominis litteris sanguineis consignans (1), thronum eburneum, reclinatorium aureum ac thalamum nuptialem ad quiescendum in eo sibi constitui.

Igitur dic mihi, qualiter recipere vis illam tuam amicam et spiritualem sponsam, aeternam scilicet sapientiam, cum redierit, et ad ostium cordis stando ac pulsando sibi petierit aperiri. Ego, inquit, non diu tardabo, nec dilectam diutius exspectare permittam, sed in occursum eius festinanter occurram, et brachiis desideriorum meorum affectuosissime extentis, dilectum votorum meorum inter salutationis verba intimo amplexu constringam. Et sicut clausus Ioannes in utero matris ad praesentiam aeterni regis tripudiando saltavit, sic et ego clauso ergastulo ad tantae sponsae praesentiam medullitus exsul-

(1) Conf. infra, Lib. II, Cap. 7.

tabo, eumque in voce iubilationis talibus verbis ex thesauro amoris assumptis salutabo dicens:

O dilecte mi, abyssus profundissima desideriorum meorum, et virtus medullarum mearum, totaque simul congeries viscerum meorum te salutant ex intimis et praecordialissimis animae affectibus, tibique demandant tot salutationes ac devota servitia, quot in arboribus folia, et in caelo fulgent sidera, et quot arenae maris circa litora. Sicque devote receptum introducam ad locum proprium, scilicet cordis triclinium, spiritualem thalamum. Sed proh dolor hoc est, quod me ante factum gemere compellit, vicissitudo scilicet accessus et recessus ipsius. Haec namque valde affligit animum nondum perfectissimo amoris gradu solidatum. Haec et his similia intima cordis suspiria et amoris colloquia, o aeterna sapientia, audis nec attendis; sed nec advertere quidem aut curare te simulas.

SAPIENTIA: Video singula, et attento cordis desiderio prospicio universa. Sed exspecta paulisper, et indica mihi verbum, quod a te quaero. *Numquid* enim, *qui multa loquitur, ipse non audiet* (1), aut, qui multa interrogat, ipse non respondebit? Responde ergo et tu mihi, quod quaero. Quid est hoc, quod potissimum caelestes spiritus quaerere et intendere debent in sua operatione?

DISCIPULUS: O omnium prudentissima ponderatrix virtutum aeterna sapientia, quomodo simplex et imperitus ad hanc interrogationem respondere potero? Sed tu, summa caelestis disciplinae magistra, responde pro me, obsecro.

---

(1) Iob 11, 2.

SAPIENTIA: Scire igitur debes, quod angelici spiritus ac viatores perfecti nil tantum in sua operatione quaerunt, quantum conformitatem omnium actionum suarum ad meam voluntatem. Meus, inquit divina sapientia, cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in caelis est (1). Hic est cibus angelorum simulque perfectorum viatorum, ut delectentur voluntatem Domini sui impleri in se, et universaliter in omnibus creaturis. Unde et ad opus vile de suo genere delectabilius ferrentur, quam ad honorificentius, si voluntati meae id magis foret acceptum.

DISCIPULUS: O summa sapientia, quam occulta suggillatione, tua nunc responsione, imperfectionem meam percutis. Intendis enim, ni fallor, querulositatem meam modo urbano reprehendere, defectum longanimitatis damnare, qui dulcia quaero, aspera, quoad possum, fugio.

SAPIENTIA: Tanta deberet esse absolutio affectus probati discipuli, ut non solum corporalibus delectationibus non esset alligatus, sed neque pro spiritualibus tantum inhiaret, ut eas carius quam ipsum summum bonum in seipso acceptum quaerendo appeteret. Considera ergo teipsum, quid quaeras aut quid diligas. Imperfecti enim quique ea, quae dilecti sunt, non ipsum quaerunt. Aut enim sua incommoda declinant sicut servi, vel sua lucra sectantur sicut mercenarii. Verumtamen ut interrogationi tuae principali de vicissitudine visitationum mearum, quae animam, ut dicis, affligunt amorosam, plenius respondeam: Scire debes, quod interdum et frequentius, aliis causis praetermissis, ipsa anima huius subtractionis causa exsistit, dum radio solari

(1) Ioan. 4, 34.

fenestra peropaca quaedam praecluditur, vel hospiti tanto irreverentia ab intra exhibetur, ut proinde exire de dilecta atque in hoc non dilecta cogatur, ipse, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum (1). Interdum quoque adveniens exsultationem tribuo, mansionem faciens apud dilectam, non manifeste quidem, sed occulte atque latenter, ita, ut paucissimi et non nisi expertissimi queant praesentiae tantae mysteria cognoscere.

DISCIPULUS: Domine, ut video, peritissimus amator es tu. Oro igitur et desidero, ut mihi aliqua intersigna tuae secretissimae ac certissimae praesentiae ostendere digneris.

SAPIENTIA: Si praesentiam meam desideras cognoscere, temetipsum, qualis sis in absentia gratiae, debes diligenter examinare, et statim, quod quaeris, invenies. Summum namque bonum cum sim, praesentia mea cuncta bonitate adimpleo. Ideoque sicut causa per suum effectum cognoscitur, et sol in se invisibilis per radiorum suorum repercussionem visibilis efficitur, sic et praesentia mea deprehenditur per suam foecundissimam bonitatem. Nunc igitur, si unquam bonitatem praesentiae meae vel absentiae sterilitatem probasti, profer in medium, ut instructus inter gramina valeas dignoscere flores.

DISCIPULUS: Si cuncta corporis mei membra in linguas verterentur, et omnes artus humana voce resonarent, non possent exprimere neque perfecte enarrare hoc, quod a me quaeris. Sed ut verum fatear, huius rei causa, in amplitudinem mirabilium Dei, saepissime ad cor altum exsurrexi, ut exaltaretur Deus (2), dicens in memetipso: O si talis est prae-

(1) Prov. 8, 31.

(2) Psal. 63, 7-8.

sentiae Dei tam immensa bonitas in homine peccatore, cuius vita minima et exercitia nulla, quid ergo est in aliis, ubi vitae innocentia, et gratiarum ac virtutum copia tam immensa? Verumtamen hoc modicum, quod expertus sum, prout dederis, proferam, ut in eiusmodi pleniorem a te habere possim directionem praemissorum. Igitur, o summa bonitas, cum faciem tuam gratiosam bonitate et suavitate plenam a me avertis, cum internam consolationem subtrahis, et *lumen in manibus abscondis* (1), tunc anima misera subito immutatur et velut languida et tabescens efficitur. Lassitudo exinde corporis subsequitur, et cordis duritia ac spiritus tristitia sentitur. Taedium quoddam virulentum occupat fines meos, ita ut taedeat animam meam vitae meae. Omnia, quae videntur vel audiuntur, etiam si bona fuerint, nauseam tunc provocant spiritualem. Recessus item tuus horrorem loci, cellae fastidium, fratrum pariter mecum commorantium aspernationem inducit; et anima mea dormitare incipit prae taedio, ut interdum ex pusillanimitate spiritus nesciat, unde veniat aut quo vadat. Experientia insuper certissima persuasum habeo me tunc esse ad vitia procliviorem, ad resistendum tentationibus debilem, et ad omnia exercitia spiritualia minus valentem. Omnis, qui me illo in tempore quaesierit, vacuam domum invenit; quia bonus paterfamilias omnes domesticos benedictione et hilaritate replens abscessit, et domicilium vacuum dereliquit.

At vero, cum praeclarus ille oriens splendor lucis aeternae, in medio tenebrarum cordis mei exsurgens, et procedens pulchre exoritur: O *mutatio dexterae Excelsi* (2). Tunc omnis melancholicae complexionis nebulosa congeries dissolvitur, et nox caliginosa sicut

(1) Iob 36, 32. (2) Psal. 76, 11.

dies illuminatur, tristibus cunctis submotis. Et ecce cor risu perfunditur, os iubilo repletur. Gaudet anima, serenatur conscientia, plaudunt cum tripudio omnia ossa mea, Deum simul laudantia ac dicentia, *quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius* (1). *Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini* (2). Tunc incipit voluntas prae gaudio festinare, ratio prae exsultatione solemnizare, ita, ut tantis gaudiis infusus nonnunquam iurassem, quod hanc diem, luminositate tam insignem, resurrectionis Dominicae ob praeconium orbi terrarum stellifer orbis adduxisset. Nimirum cum me exstinctum (3) putaveram, oriebar ut lucifer; et *habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis* (4).

Tunc omnia, quae prius dura et aspera et quodammodo impossibilia videbantur, dulcia reddebantur ac levia. Ieiunium dulce, vigiliae breves, cunctaque exercitia parva videbantur prae amoris magnitudine. In ea quoque hora gratiae spiritualis, vitam emendare, mores corrigere ac multa bona facere propono; quae gratia recedente heu minime ad effectum perduco. Anima repletur caritate et veritate, ac dulcedine tanta perfunditur, ut paene suaeipsius et omnium ceterorum obliviscatur. Meditationes mellifluae ad libitum confluunt; lingua infantilis (5) diserta efficitur; corpus pigrum ad mandata Dei promptum redditur, et, ut breviter dicam, tanta est gratiae copia ex omni parte distillans, ut omnis, qui petit, accipiat, et, qui quaerit, inveniat, et pulsantibus aperiatur. Tunc cunctis visibilibus altior effectus, omnia temporalia calcasse et in atriis caelestis Ierusalem me stare arbitror, ita ut auspicia

---

(1) Psal. 105, 1.
(2) Psal. 137, 5.
(3) Iob 11, 17.
(4) Is. 9, 2.
(5) Sap. 10, 21.

quaedam et initia futuri saeculi quodammodo incipiam praegustare. Omnes enim affectus in amoris gaudio uniti, in sola conditoris fruitione quiescunt. Haec, inquam, et his similia in penetralibus cordis geruntur; utrum autem ex me vel ex te, peto informari.

SAPIENTIA: *Perditio tibi ex te, in me tantum auxilium tuum* (1). Ex te non nisi deficis, et ad nihilum tendis. Haec autem et similia per praesentiam meam tibi noveris concessa. Nam hic est ludus amoris, quem in anima amorosa habere consuevi.

DISCIPULUS: Et quid est ludus amoris?

SAPIENTIA: Ludus amoris est gaudium et dolor, quae sibi invicem ex praesentia vel absentia dilecti succedunt. Hoc enim proprium amoris esse solet, ut, quantus sit, praesente amabili lateat, recedente vero magis percipiatur.

DISCIPULUS: Hic ludus amoris non mihi videtur esse gaudii, sed moeroris. Sed, obsecro te, putasne, si ab hac vicissitudine visitationis in hoc tempore aliqui viatores privilegio singulari excipiantur?

SAPIENTIA: Paucissimi. Nimirum tanta divinorum in homine participatio stabilitatis est quasi quaedam inchoatio aeternitatis.

DISCIPULUS: O qui sunt illi, vel cuius conditionis, qui ad tantam conformitatem perveniunt?

SAPIENTIA: Hi sunt, qui videlicet purissimis affectibus ab infimis abstracti, et longo iam usu et exercitio deiformes quodammodo effecti, divinis

(1) Os. 13, 9.

rebus continue uniuntur, qui per secessum mentis perfectissime omne medium dividens Deum et animam, tota alacritate deposuerunt.

DISCIPULUS: Dum haec audio, altius ingemisco, eo, quod a talibus in vita et experientia adhuc tam longe me esse cognosco. Proinde quia haec perfectionis summa facultatem meam excedit, volo a te scire, qualiter discipulus inexpertus in eiusmodi visitatione se debeat tenere.

SAPIENTIA: In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum, ut sic te quidem nec in praesentia gratiae ultra modum extollas, nec in absentia, ultra quam expedit, deprimas, sed velut Aod utraque manu utaris pro dextra (1). Si adhuc es novella plantatio, et assidua irrigatione necessarius es, saltem hoc facias, ut hanc vicissitudinem non impatienter feras, licet faciem meam semper inquirere debeas diligenter.

DISCIPULUS: O si inspicere velles, scires utique, quia diutina dilecti exspectatio magna cordis est afflictio.

SAPIENTIA: Haud dubium; hanc rotam amoris volubilem sustinebit, quicunque amare voluerit. Nec mirum. Neque enim mundi huius amatoribus semper prospera, sed etiam interdum succedunt adversa. Quodsi forte minus expertus es, interroga quempiam ex eis, et dicet tibi, quia laborabit omnis, qui amare voluerit. Sunt quidem nonnulli amatores, nimium utique molles, qui, dum amori ad horam inserviunt et amatores, sed sine labore, esse volunt, quibus si statim iuxta votum aura optata non arri-

(1) Iud. 3, 15.

serit, a coeptis continuo desistunt. Et hi ad fructum amoris minime perveniunt, eisque tamquam indignis dicitur: Militiae species amor est; discedite segnes.

Proinde fervidus amator, ut ad fructum amoris desideratum perveniat, debet esse sedulus, longanimis, obsequiosus, nec faciliter desistere debet, etiamsi mille vicibus repulsam patiatur, semper exsistens bonae spei, cogitans, quia labor improbus omnia vincit. Quid mollius aqua? Quid lapide durius? Et hic frequenti ictu guttae cavatur. Et, ut rumores tibi bonos, et veris amatoribus ad audiendum delectabiles subinferam, noveris, quod haec divinissima, pro qua laboras, sponsa rogari vult, obsequiis delectatur. Quisve tam subito et in rebus caducis obtinet, quod amori placet? Roget proinde et postulet ac obsecret, nec desistat; et ego ei vere introitum iuxta cordis votum promitto. Non est enim inventa in omnibus finibus Israël, quae tam facilis sit ad exorandum, tam prompta ad exaudiendum, ad reddendum tam pia, sicut haec tua divinissima sponsa. En prae magnitudine amoris se cohibere diu non valet. Non potest exspectare, donec rogetur, sed *praeoccupat se quaerentes, et se priorem eis ostendit* (1). Stat in foro, in medio platearum, in foribus portarum dat vocem suam (2), omnes alliciens et ad suum trahens cunctos amorem. Qui me amare voluerit, omni tempore me suam amabilem spectare studeat, sicut et ego iugiter meum amatorem spectare consuevi. Siquidem nescit, utrum ab oriente vel ab occidente seu a septentrione aut meridie veniat, quam praestolatur. Ignorat etiam, utrum mane vel meridie an galli cantu ostium pulset et aperiri petat.

Nam saepius, dum animus me quaerendo anxius exsistit, quaerendo non invenit; sed cum minime pu-

(1) Sap. 6, 14. (2) Prov. 1, 20-21.

taverit, dilectum praesentem habebit. Semper enim cupio dilectam amori esse paratam; nec eam de suis meritis plus quam de mea dignatione volo confidere. Porro non sufficit unam horulam temporis cum dilecto expendere, sed necesse est saepius vacare et videre (1), qui eius occulta susurria vult intelligere et praesentia eius potiri desiderat pretiosa. Et ut dulcibus his sermonibus verba increpatoria non tamen minus amatoria misceamus, arguere valde te oportet, quia vere in huiusmodi exercitiis amoris reprehensibilis es.

Cur proh pudor tu, qui militiam amoris assumpsisti, qui hanc nostram philosophiam professus es, et eius dulci iugo humerum tuum supposuisti: Cur, inquam, vagabundo corde et oculis tremulis ac in fines orbis terrae rotatis, stare coram tanta sponsa praesumis, quae indefesso aspectu, serena et gratiosa facie iugiter te prospectat, nec oculos suos unquam a te avertit? Quam verecundum est singulis quibusque auditum praebere, ut non possis, quae divina sapientia in te loquitur, audire. O quam turpe est discipulo amoris seipsum tantum oblivisci, ut eius non advertat verba interna, cuius ubique circumdatur praesentia. Merito proinde tamquam ab indigno se subtrahit, cum te non in te nec in se, sed extra te et se in mundi strepitu invenit. Et ideo quaeso haec emendare memento! Perpende, quam indecens exsistat, si anima quidquam in exterioribus quaerat, quae regnum Dei intra se portat. Regnum quippe Dei intra vos est, quod est iustitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto.

---

(1) Psal. 45, 11.

Capitulum Nonum.

Quare divina Sapientia suos caros in hoc mundo permittit tam multipliciter tribulari.

Iustus quidem tu es, si disputem tecum; verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? Bene est omnibus, qui praevaricantur et inique agunt. Plantasti eos et radicem miserunt, proficiunt et faciunt fructum (1). Materiam multifarie ventilatam et frequenter discussam ac reversatam opus non esset resumere; sed refricatio tribulationum, adversitatum iteratio replicationem querulosam quoque adversum te, rector orbis, exposcit. Numquid enim vano ostentationis spiritu hominibus suadeo? Deus scit. Aut *numquid contra hominem disputatio mea* (2) aut ad hominem, et non magis propter refrigerationem ardoris cordis contriti et humiliati, et a pueritia usque ad hanc diem passionibus et miseriis vexati? Aut quis non similia vel maiora passus compati sciret, sicut tu, qui ex his, quae passus es, compassionem didicisti? Sicut enim caecus natus de non visis coloribus imperfecte syllogizat, sic, qui non est passus adversa, tamquam inexpertus minus perfecte de tribulationibus iudicat. Aut quomodo possent credere hi, *quorum domus securae sunt et pacatae, et non est virga Dei super eos, qui ducunt in bonis dies suos*, delicate nutriti, in solaciis educati, robusti, sani, felices, dignitatibus honorati, gradibus sublevati, bene parentati, quorum *viscera plena sunt adipe, et medullis ossa rigantur* (3); his, qui ha-

---

(1) Ier. 12, 1-2.
(2) Iob 21, 4.
(3) Iob 21, 9, 13, 24.

bent *menses vacuos et noctes laboriosas* (1), qui nocte et die replentur doloribus, et iugiter in amaritudine animae sunt, quibus foris pugnae, intus timores, quos nec sinis ad ictum oculi quiescere, cum et nox humanae deputata quieti in inquietudinem eis propter timores nocturnos (2) convertatur?

Honor temporalis ab eis tollitur; gloria mundi frustratur; despicabiles inter multos redduntur; opprobriis saturantur; traduntur in proverbium et in exemplum, fiuntque *omnium peripsema usque adhuc* (3). O quam bene sapiebat, qui haec eadem sentiens dicebat: *Sunt iusti, quibus multa proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant* (4). Amor tuus videtur esse sicut volumen volans, quod gustatum quidem in ore est sicut mel dulce, comestum autem amaricari facit ventrem (5) propter laborem amorem tuum concomitantem. Elementa ac puerilia amoris tui sunt tribulationes ac miseriae.

Primus namque passus accedentium ad te, prima pagina te legentium, primum exenium ac iocale te diligentium est istud: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et praepara animam tuam ad tentationem* (6). Bene dicit *ad tentationem.* Vere ad miseriam et tribulationem, ita ut cunctis diebus militiae tuae sis in conflictu et certamine, et ut fortuna tibi raro aut nunquam optata arrideat. Non de omnibus loquor. Tu scis, Domine, quos ad hoc opus tam strenuum elegeris.

Si sanitate ac robore aut elegantia gaudent corporali, multipliciter flagellati continuo incipiunt deficere, et vel exquisitis castigationibus vel gravis-

---

(1) Iob 7, 3.
(2) Psal. 90, 5.
(3) Ezech. 14, 8; 1 Cor. 4, 13.
(4) Eccle. 8, 14.
(5) Apoc. 10, 9.
(6) Eccli. 2, 1.

simis infirmitatibus oppressi languescere coguntur. Si aurum eis est vel argentum, fures veniunt et furantur, vel quod difficilius est, affectum eius ab ipsis rescindis. Si possessiones agrorum et vineta aut oliveta eis sunt, cum aliis prospera arriserit aura, haec grando vel pruina consumit. *Residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* (1). Domine, dabis eis. Quid dabis eis? *Panem arctum et aquam brevem* (2). Hic est cibus ille regius, qui sequitur servos tuos (3). Si transit maria, ventus contrariatur. Si per terram ire disponit, si multis diebus caelum terrae serenitatem concesserat, ecce, cum hic tuus, ut sic loquar, miser amator ad lucem venerit et ad viam se paraverit, conglomerantur nubes, terra imbribus perfunditur, et vel pluvia vel aestu nimio aut etiam gelu intemperato servus ille tuus affligitur.

Mira res pariter et stupenda. Nunc mures in occulto ipsum non sinunt quiescere. Nunc milvi in caelo cum ad lucem prodierit, aut etiam corvi crocitantes in ipsum quasi subsannatorie impingunt; et, sive taceat sive rideat, displicet. Quodsi quis contra eum etiam tacentem et nullum verbo aut facto laedentem se erexerit, omnes concurrunt ad maledicendum, linguas acuunt, et velut rabidi canes lepusculum plebem invalidam et se omnibus substernentem insequuntur, lacerant ac discerpunt. Sed, ut etiam haec de tua gratia inferam. Ecce ipsi dicunt: Diligit Deus odientes se, et odio habet diligentes se (4). Illis bona, istis mala largitur.

Et, quod his maius est, tu quoque iudex iustus partem adversam sic te fovere ostendis vel simulas, ut omnino taceas, quasi tibi non sit curae de tuorum

---

(1) Ioël 1, 4.
(2) Is. 30, 20.
(3) 2 Reg. 11, 8.
(4) 2 Reg. 19, 6.

subversione servorum. Sic *perit iustus, et non est, qui recogitet* (1). Et *quia impius praevalet adversus iustum, propterea egreditur* nunc sicut olim *iudicium perversum* (2). Nonne et hoc quasi impatienti animo conquerebatur ille amabilis et re et nominis interpretatione propheta Domini, qui dicebat: *Quare* non *respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio iustiorem se?* (3). Ecce bene agit, et maledicta recipit. Tibi pro posse servit, et vitam eius invidus despicit. Derisionibus a legis transgressoribus urgetur. Porro a seipso mille castigationibus tribulatur.

Et, quod his adhuc maius est, ecce Satan a facie tua egreditur (4), et ei in omnibus, ad quae se verterit, insidiatur. O custos hominum, o immensa Dei pietas, quomodo haec multiformia mala in tuis electis sustinere poteris? Aut quomodo haec et similia vides, et non adiuvas? *Quapropter et ego* nunc *in tribulatione spiritus mei confabulabor* tecum *in amaritudine animae meae* (5). Tu enim solus laborem et dolorem consideras, et scis, quoniam non ex animi levitate, sed ex plenitudine amaritudinis animae meae verba haec dolore plena processerunt, quae gemitibus tantis intercipiuntur, sed et lacrimae decurrentes praeoccupant stilum scribentis.

SAPIENTIA: Delicatus miles es, qui adversa tantum formidas. Sed necdum quidem usque ad sanguinem restitisti (6), nec in valle pugilum usque ad mortem decertasti. Nonne vir tu es? Sed proh pudor velut rhinoceros audacissimus es tu tempore prosperitatis, sed tela aranearum fragilior adversitatis

---

(1) Is. 57, 1.
(2) Hab. 1, 4.
(3) Hab. 1, 13.
(4) Iob 1, 12.
(5) Iob 7, 11.
(6) Hebr. 12, 4.

tempore. Bellator invictus, ad exercendum se et probandum tribulationem et miseriam invenire desiderat. An non bene gloriabatur, qui dicebat: Libenter *gloriabor in infirmitatibus meis* (1)? Nam, nisi praecesserit pugna, non potest esse victoria. Gubernator in tempestate dignoscitur; in acie miles probatur. Delicata iactatio est, cum periculum non est. Conflictio in adversis probatio est veritatis.

DISCIPULUS: Numquid ego solus hanc contra te moveo querimoniam? Ecce, quam innumeri tribulationibus similiter oppressi, qui mihi quoque in hoc consentiunt, ita ut, etsi te ratione superare non valeo, copiosa multitudine testium convincam. Nonne facilius esset una hora capite puniri, quam cunctis diebus propter te mortificari? Nec mihi opponas aut respondeas, quod forsitan haec mala ideo patimur, quia peccavimus tibi et mandatis tuis non oboedivimus. Numquid enim nos soli peccatores? Nonne peccatoribus abundantia est, filiis autem tuis desertio? Atque iusti premuntur, et impii florent in mundo.

SAPIENTIA: *Sicut dilexit me Pater, et ego diligo meos* (2). *Non est discipulus super magistrum* (3). *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit* (4). Sed et nihil novi tibi accidit, quod materia debeat esse tristitiarum. Consuetudinis nostrae est, electos quosque maximeque viriles animos virtute robustos tentationibus probare. Cur igitur, quasi insolitum aliquid tibi acciderit, verba multiplicas, et querimonias tam ardenter exaggeras, involvens sententias sermonibus imperitis? Respice, quis inter

---

(1) 2 Cor. 12, 5.
(2) Ioan. 15, 9.
(3) Luc. 6, 40.
(4) Ioan. 15, 18.

electorum numerum, horum videlicet, qui singulariter Deo placuerunt, in hoc mundo transiverit sine probatione? *Sufferentiam*, inquit, *Iob audistis, et finem Domini vidistis* (1).

DISCIPULUS: Nunc si dicere licet, habeo quod volo. Ecce hoc est, quod defleo, hoc est, quod ploro, et propter quod ex intimis ingemisco et suspiro. Audi, quaeso, servum tuum! Ecce ipsi dicunt: Non est salus illi in Deo eius. Vani sunt, qui serviunt Deo (2). Et quare? Respondent, quod propter causam hanc praefatam, videlicet iustorum tribulationem continuam: Subiungentes nihilominus, quod pro tanto tam paucos habeas amicos, eo quod cum eis huiuscemodi ludo ludere soleas. Heu me flebilem et infelicem! Hoc est, quod me proh dolor et nunc et pridem multoties amarissimis lacrimis flere compulit, et tristitiam mihi super tristitiam adduxit, damnum videlicet spirituale, et frustratio laboris mei, quo frustra erga proximorum salutem desudavi. Cum enim plerosque cum maximo labore ad conversionem ac frugem melioris vitae traxissem, et ipsos cum dolore parturiendo (3), ac dulciter in humeris portando, et lac consolationis eisdem teneris sub annis praebendo, atque meipsum totum in obsequium ipsis tribuendo, multa adversa valde sustinuissem, cum dies tui consueti tentationum scilicet et probationum eis supervenissent, ut per aquam et ignem transeuntes educerentur in refrigerium (4), nonnulli retrorsum abierunt post Satanam dicentes: *Durus est hic sermo, et quis poterit eum sustinere?* (5). Et illud, quod iuxta vulgare proverbium dicitur: Difficile est diu esse

---

(1) Iac. 5, 11.
(2) Mal. 3, 14.
(3) Gal. 4, 19; 1 Cor. 4, 15.
(4) Psal. 65, 12.
(5) Ioan. 6, 61.

bonum. Et sic te miseri in damnum suum et in miseriam meam derelinquentes, rursum se noxiis implicarunt.

SAPIENTIA: Haec quaestio illorum solet animos permovere, qui parum fidei vel scientiae possidentes, merita sanctorum, quae non in praesenti redduntur, sed reposita sunt in futurum, arbitrantur in huius temporalis vitae brevitate restitui: Nescientes iudicia Dei investigabilia et profundum divitiarum sapientiae et scientiae Dei (1), et quod non ita videat Deus ut homo. Homo enim tantum praesentia respicit, Deus autem futura et aeterna cognoscit. Tu autem in nostra spirituali philosophia aliter institutus consurge, cuncta visibilia mente supergrediendo; *quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt* (2).

Surge igitur de viscosa obscoenitate temporalium delectationum! Aperi oculos mentales et vide, quid sis, ubi sis et quo tendas; tunc profecto horum omnium rationem habere valebis. Tu namque es speculum divinitatis, eo quod in te principalius quam in ceteris creaturis Deus reluceat; imago Trinitatis, eo quod eius imago in te resplendeat; exemplar aeternitatis, eo quod inviolabili incorruptione gaudeas. Et sicut ego in essentia mea sum infinitus, sic desiderium animae tuae est velut interminabilis abyssus, ad cuius repletionem omnia simul gaudia mundi non sufficerent, sicut nec unica gutta oceanum sua exiguitate replere posset. Deinde advertere debes, ubi sis: Quia in valle miseriae, in exilio, in peregrinatione, ubi bona permixta malis continua vertigine revolvuntur. Risus hic dolore miscetur, et extrema gaudii luctus occupat. Hic nempe mundus suos ab

(1) Rom. 11, 33. (2) 2 Cor. 4, 18.

initio fefellit amatores, dum eis prospera promisit et adversa retribuit, quod et similiter nunc quoque facere non desistit. Sed ad pleniorem omnium praemissarum perturbationum amotionem paululum nobis secedendum est, et ad fidei principia latius recurrendum.

Capitulum Decimum.

De cruciatibus infernalibus.

Actum est autem post haec, et ecce discipulus coepit cogitare dies antiquos, et annos aeternos in mente habere. Cumque profunde se recolligeret, et a sensibilibus, prout potuit, intellectum abstraxisset, apparuit in visione fidei oculis a longe quasi quaedam regio umbrosa, ignota et multum terribilis. Cumque tremefactus, quidnam hoc esset, inquireret, responsum est: Regio haec, ut vides, distincta, locus est poenarum futurarum, quem diversae animae post egressum a corpore pro diversitate culparum in poenam sortiuntur, quaedam ad ipsarum purgationem, quaedam vero ad aeternam damnationem. Et prout sibi ea tunc demonstrata fuerunt. Haec autem et his similia, tam horrenda et immania fuerunt tormentorum genera, ut nulla sufficeret haec lingua narrare, aut nullus sensus mortalium posset ea plene aestimare. Cum autem ad se redisset, et quasi de alio mundo, ut sibi videbatur, ex motiva visionis praesentia venisset, prae nimio timore et horrore velut homo semivivus aliquamdiu iacens in seipso contabuit. Quaedam autem ex his solum fidei communibus oculis conspexit.

Respexit igitur: Et ecce de praedictis locis foetor intolerabilis exoriebatur. Mallei resonantes audie-

bantur, tenebrae profundissimae densabantur, et videbantur ibi facies daemonum horribiles. Ibi erat planctus et gemitus, et alternantia mala impios sine pietate discerpebant. *Ab aquis nivium* transibant *ad calorem nimium* (1). Considerabat inter haec aequitatem et magnitudinem iudiciorum Dei, et inter cordis se prementes angustias ac sudoris guttas, quae ipsum ex horrore visionis penetraverant, advertebat, quoniam, per quae peccaverat quis, per haec et torquebatur.

Unde et in illis, qui in vita sua insensate et iniuste vixerant, per haec, quae coluerant, tormenta recipiebant. Raptores namque et praedones ac eorum complices, et hi, qui pauperes et amicos Dei, dum adhuc viverent, spoliaverant vel per exactiones indebite afflixerant, ad patibula quaedam infernalia, supra humanam aestimationem poenalia, rapti violenter suspendebantur et ibidem torquebantur; nec tamen moriebantur, sed modo indicibili cruciabantur. Nonnulli etiam, qui sub habitu agnino mentem occultaverant leoninam, qui velut canes rabidi servos Dei per maledicta et opprobria aut verba turbativa molestaverant, et confratres suos iniqua persecutione laeserant, ibidem a canibus infernalibus amarissimis morsibus corrodebantur. Ibi superbi sepultura asini in inferno despective sepeliebantur (2), et tamquam cadavera putrida ignita proiecti (3), opprobrio sempiterno, quod nunquam delebitur, addicebantur. Et pro gloria temporali et mentis elatione, qua ceteros inflati praeire ambiebant, tanta poenarum mole ac pondere premebantur, quantum aliquis premi posset, qui maximam turrim super se haberet. Bibuli vero et crapulosi et qui ventri suo

---

(1) Iob 24, 19.
(2) Ier. 22, 19.
(3) Is. 14, 19.

servierant, velut lupi famelici fame incredibili ac siti intolerabili affligebantur: Cupientes guttam minimam aquae frigidae pro refrigerio linguae suae flammarum incendio adustae recipere, et nemo illis dabat (1). Sed et daemones teterrimi cum situlis ardentibus iuxta eos stabant et potum quendam sulphureum plumbo liquefacto similem, nimio calore aestuantem, per os eorum in ventrem pertusum fortiter infundebant. Luxuriosi quoque et qui in deliciis carnem suam enutrierant et in obstinatione sua perduraverant, a serpentibus devorabantur, a bufonibus ignitis aculeis usque ad viscera torquebantur. Qui carnali ac terreno amori dediti fuerant utriusque sexus, terram infernalem prae dolore mordebant, quoniam eos daemones nimium affligebant. Nam spicula ignea habentes, et aestu vehementissimo eos insequentes, vulneribus saevissimis repleverunt. Sed et socias in culpa socias habuerunt in poena. Supra modum autem cupidi et avari ac quaestuarii male torquebantur. Nam in foveis metallis bullientibus plenis balneabantur, et exsilire cupientes absque misericordia reimpingebantur.

Iudicium durissimum his, qui praeerant, fiebat. *Fortioribus autem fortior instabat cruciatio.* Et *potentes* ibi *potenter tormenta* patiebantur (2). O quis dicere queat, quantum ibi iudices impii, rectores iniqui, clerici turpis lucri cupidi, monachi lascivi, laici violenti, mulieres procaces, saltatrices et ambitiosae et diversi quique falsi Christiani poenalitatis habuere! Et quam miserabiles rugitus et clamores lamentabiles dabant, ita ut sola visionis huius afflictio omnem poenam mundi quodammodo excedere videretur. Nam et multitudo ursorum infernalium et audaces leones et novi generis animalia ira plena,

(1) Luc. 15, 16. (2) Sap. 6, 6; 7, 9.

ignotaeque bestiae vaporem igneum spirantes, odorem fumi proferentes, et horrendas ab oculis scintillas emittentes (1), morsu amarissimo eos dilaniaverunt. Tandem multi ex his in puteum abyssi, de quo fumus horribilis et foetor intolerabilis exibat, proiciebantur. Aspectus eorum velut ferrum candens in modum favillarum exardebat. Et a daemonibus reimpingebantur. *Commanducantes linguas suas prae dolore et blasphemabant Deum caeli prae doloribus suis et vulneribus; et non egerunt poenitentiam ex operibus suis* (2). *Vinculis tenebrarum et longae noctis compediti* in obscuro ac *tenebroso oblivionis velamento tenebantur*. Sonitus descendens perturbabat eos, et personae tristes apparentes pavorem eis incutiebant. Nec siderum limpidae flammae illuminare poterant noctem illam horrendam. *Una enim catena tenebrarum omnes colligati erant. Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum. Ipsi autem sibi erant graviores tenebris* (3). *Et fumus tormentorum ipsorum ascensurus est in saecula saeculorum* (4).

Post haec vox quaedam desuper quasi tonitruum audiebatur, quae insultando et quasi exprobrando dicebat: Ubi sunt nunc hi, qui ab initio a diebus antiquis mundo huic toto servierunt desiderio, qui voluptuose viventes variis se desideriis subdiderunt? Eia quid prosunt illis nunc omnia, quae tamquam umbra velociter pertransierunt? Quam brevis delectatio tam longam restim post se trahit aeternae miseriae. O stulti et vecordes, ubi nunc verba illa, quae cum laetitia tanta et cordis tripudio dicere solebatis: *Venite et fruamur bonis, quae sunt, et utamur*

---

(1) Sap. 11, 18-19.
(2) Apoc. 16, 10-11.
(3) Sap. 17, 2-5; 17, 19-20.
(4) Apoc. 14, 11.

creatura tamquam in iuventute celeriter (1)? Quid iuvant nunc dulcia universa, quibus tam celeriter perfruiti estis? Siquidem nunc a contrario plangere vobis convenit, et plangendo exclamare ac dicere: Vae, vae nobis, iam nunc et in aeternum! Vae, quia nati sumus nec ultra mori valemus! Vae, quia male torquemur nec a tormentis unquam liberabimur.

O quis est, qui ista recogitet supplicia, et haec nostra ad cor ponat tormenta? Haec enim talia sunt, ut quidquid in mundo horribile excogitari posset, his comparari in crudelitate non valeret. O quam felix incoinquinatus, qui post gaudia huius mundi non abiit, qui *non respexit in vanitates et insanias falsas* (2). *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter electos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? Aut quid divitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra* (3).

Transiit quod temporale fuit; sed proh dolor nunc remansit quod in aeternum manebit. O aeternum nunquam finem habiturum, perpetuum mortis supplicium! O finis sine fine, mors gravior omni morte, semper mori et tamen mori non posse! O mi pater dilecte, qui me in hunc mundum genuisti, o dulcis mater, quae maternis uberibus me lactasti, o vos omnes amici mei et socii dilecti, valete nunc viscera mea, quia adest hora illa separationis amarissimae, quae amarior est omni morte! Vale tellus! Valete

(1) Sap. 2, 6.
(2) Psal. 39, 5.
(3) Sap. 5, 4-9.

socii, quos tam benigno favore colui! En ducimur ad horrendum infernale suspendium, ad supplicium trahimur metuendum, nunquam vos de cetero cum gaudio visuri. O lacrimae incessanter profluite! Oculi plorate, et omnia viscera mea ululate super hac infelici separatione, quae est a summo bono, a facie illa gloriosa et iucunda, et a consortio angelico, nec non illo felicissimo electorum numero, ponendique ad illam miseram et maledictam ac crudelem damnatorum turbam sine fine cruciandam. O manuum complosus sonitus, o cordium multorum intimi gemitus, o stridor dentium, et fremitus spirituum immensus, o ploratus et ululatus multus, o in aeternum permansurus clamor, qui semper durabit et nunquam finem habebit, qui semper renovabitur et nunquam exaudietur! Oculi nostri miseri nunquam aliud videbunt nisi miseriam; aures nihil aliud nisi vae vae audient atque tristitiam. O pia corda, istud interminabile et crudele aeternum respicite, lugete et flete!

O montes, *cadite super nos*, colles, *operite nos* (1). Quem sustinetis? Quem exspectatis? Abscondite nos a facie illa terribili furoris Domini, a vultu irae gloriae Dei. Heu, heu! Cur non haec maxima futura nobis mala praevenimus, cum robur affuit, cum tempus aderat opportunum? Utinam et de toto tempore illo inutiliter expenso superesset nobis vel una horula tantae poenae in remedium concessa. Sed heu sententiante divina iustitia, praeclusa est nobis salutis via, negata misericordia, spes omnis ablata. O dolores et miseriae et in aeternum permansurae angustiae in terra hac oblivionis, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat!* (2).

Quid plura? Nos miseri et miserabiles tantum af-

(1) Os. 10, 8. (2) Iob 10, 22.

fligimur et dolemus de illo vae aeterno, ut qualiscunque terminus excogitatus dummodo finitus, esset nobis solatiosus. Unde posito per impossibile, quod esset aliquis lapis molaris adeo magnus, quod ubique circumferentiam caeli contingeret, et quod aliqua avicula minimae quantitatis post centum milia annorum veniens, de lapide praedicto solummodo tantum per rostrum suum avelleret, quantum est decima pars milii, et iterum post centum milia annorum curricula sicut prius, scilicet unam particulam de decem, et sic per singulas partes, ita quod in decies centenis milibus annis non plus diminueretur quantitas lapidis nisi quantum habet in magnitudine granum unius milii, en proh dolor nos miseri multum grati essemus, quod post talem longam et plenam consumptionem totius lapidis finem haberet sententia nostrae aeternae damnationis. Sed heu, haec eadem consolatio miseris a divina iustitia penitus est negata. Hucusque miserorum verba damnatorum. Taliter igitur, o fili, flagellabuntur, qui hic a flagellis filiorum excipiuntur.

DISCIPULUS: O iudex tremende, ecce nunc anima mea ex hac quoque visione horribili territa et prostrata est, et genua dissoluta, ut vix subsistere possim. O Deus meus adiutor meus, o mi Deus, averte, obsecro, furorem tuum a me! Absit a me haec aeternae damnationis sententia formidolosa. Quodsi adversa sustinere me oportet, fiat voluntas tua hic in me. Huius a me licentiam plenissimam habeto, nec querulosum discipulum de cetero in me habebis. Hoc solum facias, ut me a te in aeternum separari non permittas.

Capitulum Undecimum.

De gaudiis supercaelestibus.

Exsurge, gloria mea; exsurge, psalterium et cithara: exsurgam diluculo (1). Feliciter prorsus. Ecce nunc psalterium iucundum adducimus, in cithara suavi tibi psallimus, dulcia modulamina damus, ut omni timore, quem pateris, prostrato ac dolore pulso, te ab inferis ad superos cum gaudio excitemus. Nunc igitur consurge, consurge! Oculos mentales attolle, alas desideriorum excute, et te ad volandum *super pennas ventorum* (2) dispone! Leva oculos tuos ad orientem, et respice quae tibi demonstrantur! Vide terram promissionis, immortalitatis locum, caelestem patriam, paradisum voluptatis, et regnum aeternae felicitatis! Nimirum in hoc mundo advena es et peregrinus, et ideo tamquam peregre constituto properandum tibi est ad carorum numerum tam copiosum, qui te magno cum desiderio exspectant, ut te dulciter recipientes beatis amplexibus secum consedere faciant (3) in aeternum. O, si scire posses, quanto affectu tibi iugiter exoptant, ut in caelestibus adhuc castris constitutus, ad procellas et turbines mundi nulla trepidatione movearis; sed robustus venator coram Domino exsistens, ac belliger miles, sic strenue ac prudenter in cunctis agas, ut nulla te moveant prospera, nulla frangant discrimina, nec perterreant adversa; quae ipsi tam fortiter, tamque feliciter superaverunt, et nunc recogitant dies illos et annos afflictionis suae in cordis dulcedine.

Et revera, quanto hic pro nomine salvatoris maio-

(1) Psal. 56, 9. (2) Psal. 17, 11. (3) Eph. 2, 6.

rem sustinueris laborem, tanto in aeternitate potiorem recipies mercedem. O quanta gloria sublimabitur, et quam eximio honore extolletur hic miles, qui a rege tanto de patientiae triumpho constantiaeque praeconio coram Patre dilecto in caelesti solio, angelorum vallatus collegio, commendabitur gloriose. Cum quanta gloria, putas, fulgebit victoriae corona cum labore tanto acquisita? Sole clarius, sidere quoque caelesti limpidius micabunt vulnera, livores et stigmata pro nomine meo hic recepta. Porro in illa caelesti patria tanta tibi manet nobilis prosapiae amicorum fidissima turba innumera, ut etiam alienissimus quisque ipsorum vera dilectione propinquius tibi iungatur, atque sincera caritate plus te diligat, quam quaevis mater hic suum diligat unigenitum.

DISCIPULUS: O princeps caelestis curiae, quaeso de hac caelesti patria adhuc plus digneris disserere, ut et ipsius in me desiderium augeatur, et amplior conferatur patientia in adversis. Eia, Domine mi: Qualiter, quaeso, est illa regalis aula disposita, vel qui cives ac civitatis tantae municipes, aut noverunt ipsi ea, quae circa nos aguntur, ut tua sonare verba videntur?

SAPIENTIA: Iam nunc *elevare, elevare, consurge* (1), et conscito gradu mecum perge, et ducam te ad locum, quem desiderat anima tua, ibique videbis divinorum mirabilium profundissima mysteria. Ecce supra octavam sphaeram, quae longe plus quam centies milies maior est omni terra, est quoddam adhuc altius caelum, quod vocatur empireum, ob eximiam sui luminositatem sic dictum. Uniforme, immobile, luminositatis perfectae, et capacitatis immensae.

(1) Is. 51, 17.

Et haec est illa regalis aula, curia caelestis spirituum beatorum, ubi me *simul* laudant *astra matutina et* iubilant *omnes filii Dei* (1). Ibi sedes caelestes ac throni luminosi positi sunt, de quibus ille infelix numerus spirituum malignorum corruens, electorum numero reparandus erit.

Vide nunc civitatem illam gloriosam atque sublimem, ex auro gemmisque mirabiliter rutilantem, de cuius portis odor nimium recreativus emanat. Plateae eius constratae sunt auro purissimo, tamquam vitro perlucido; fundata est in sapphiris. Iaspidis propugnacula ibi pervirescunt (2). Ipsa vivis ex lapidibus est constructa, floribus constrata, margaritis lucentibus perornata. O amoenitas cunctis admiranda!

Sed quid diutius te protraham? Tu ipsemet nunc palam aspice oculis tuis, et vide campum latissimum decore venustissimum siderearum mansionum, cunctorum gaudiorum generibus adornatum! Eia qualia! Hic vernalis amoenitas, autumnalis foecunditas, serenitas aestivalis, iucunditas nuptialis. Hic vallis gaudiosa, visio amorosa. Hic caelestes harmoniae personant, divinae figellae intonant, voces iubilosae decantant. Hic laetabunda plaudunt agmina, ac laetis se miscent blanda modulamina choris. Hic choreae virginum cursitantes post Dominum. Hic una vox laetantium et unus ardor cordium. Delectabilium copia, optabilium affluentia. Hic nulla adsunt tristia, sed laeta universa. Hic gaudiorum novitas, et aeterna securitas.

Eia gaudia! Nunc eorum dulci gustu totus in amorem caelestem resolutus, circumfer oculos tuos, et contemplare multitudinem hanc innumeram, et animadverte, qualiter de fontali principio, ore sitibundo

---

(1) Iob 38, 7. (2) Is. 54, 11-12; Apoc. 21, 18-21.

bibentes inebriantur: Qualiter speculum illud divinissimum, in quo omnia relucent, intuendo iucundantur. Mirantur nec deficiunt, fruuntur nec fastidiunt, quo frui magis sitiunt.

Adhuc propius accedens ausculta, qualiter regina virginum, quam summo veneraris affectu, privilegio singulari honoris et gloriae transcendit culmen ordinum, *innixa* prae teneritudine *super dilectum* (1), inter areolas aromatum, circumdata floribus rosarum et liliis convallium. Cerne, quomodo eius eximia pulchritudo iucunditatem tribuit, et cunctos in admirationem suspendit. Nunc quoque occurrat aspectus deliciosus diu ex intimis visceribus desideratus. Vide, quomodo mater clementiae et pietatis, mater miserationum Domini, illos suos misericordes oculos tam clementer ad te et cunctos peccatores retortos habet, et quam imperiose et potenter omnibus imperat, miseros defendit, et reos reconciliat.

Post haec intelligentiae oculos ad angelicam naturam convertens vide, qualiter supremi angeli de ordine seraphim, et animae eiusdem chori divino amore flagrantes, fervide et indeclinabiliter sursum velut ardens flamma in Deum moventur: Qualiter ordo cherubim plenitudinem divini luminis suscipientes, copiose in alios diffundunt: Throni et eorum complices suaviter in Deo, et Deus in eis requiescit. Postea qualiter secunda hierarchia illuminatur a prima, et quomodo determinantur ad actus particulares. Ah, respice, dilecte, quam pulcherrime et nobilissime haec tam innumera multitudo ordinata est, et quanta meritorum diversitate distincta. O mira gaudia, et aspectus miri decoris eximiaeque delectationis!

Adhuc conversus vide, qualiter sancti apostoli et

(1) Cant. 8, 5.

amici mei praecipui cum summo honore in iudiciaria resident potestate, et qualiter martyres rutilant roseo colore, confessores radiant igneo fulgore, virginesque emicant niveo candore: Tota denique caelestis frequentia quomodo divina affluit dulcedine, repletur iucunditate. Haec caelestia agmina simul iuncta cum ineffabili ducentes choros laetitia, coram throno sua depromunt modulamina. Egrediens inde *fluminis impetus* (1), mentes ipsorum inebriat voluptate, ora replet iucunditate. O quam felix civitas, ubi iugis solemnitas; et quam iucunda curia, quae curae prorsus nescia. Beati proinde et felices, qui ad tantum convivium invitati sunt, qui tali consortio electione divina interesse meruerunt. Sane in hanc caelestem patriam, regionem gloriosam, fidelis sponsa sine fine regnatura feliciter perducetur, corpore tandem vestienda glorioso. Coronam habebit in capite auream, et desuper coronam aureolam (2).

DISCIPULUS: Dic, quaeso, pia dulcedo, quid sit corona aurea, quidve aureola.

SAPIENTIA: Per coronam auream praemium intellige essentiale; per aureolam vero praemium accipe accidentale (3). Accidentale praemium est quoddam gaudium de operibus a se factis, quae habent rationem victoriae excellentis, veluti martyrum triumphus gloriosus (4). Doctorum etiam ac virginum de diabolo seu carne propria excellens triumphus.

Praemium vero essentiale consistit in perfecta coniunctione animae cum Deo, in quantum eo per-

---

(1) Psal. 45, 5.
(2) Exod. 25, 25.
(3) S. Thomas, *In* 4 *Sent.* dist. 49, q. 5, a. 1.
(4) (S. Thomas) Hugo Argentinensis, *Comp. theol. verit.* VII, 29 s.

fecte fruitur, ut viso et amato perfecte. Animae namque desiderium infinitum nunquam satiabitur ad plenum, nisi fuerit abysso Divinitatis absolute immersum; sicque in illius summae Trinitatis ac simplicissimae Unitatis perfecta fruitione tandem complete beatificabitur. Et quanto nunc perfectius temporalia cuncta reliquerit, tanto liberius ad contemplationem spiritualium consurgit. Et quanto plus se actibus mancipaverit spiritualibus, tanto illic felicius absorbebitur in abyssum divinissimae claritatis, et unus cum eo spiritus efficietur, ita ut hoc, quod Deus est per naturam, ipsa fiet per gratiam (1). O quam felix anima, quae coetibus angelicis sociata, quae Christi nectare satiata, quaeque summae Trinitatis beatis amplexibus dulciter et inseparabiliter inhaerendo fuerit coniuncta! O ineffabilis pausatio, admirabilisque requietionis huius suavissima dulcedo!

Tu vero aeternae sapientiae discipulus, *mentis* iam *in excessu* positus, velut alter *Benjamin adolescentulus* (2), refrigera paulisper cor tribulatum in hac quietissima pausatione huius iucundissimae societatis, quam nunc coram te cernis! Perpende, quam splendidas habent facies, quos opprobriorum et irrisionum impiorum urgebat insania et molestia vexabat! Extolle cor iucundum cum voce gratulabunda, et hos cives curiae huius caelestis et domesticos Dei

---

(1) Guigo Carthusianus: Modo ineffabili inexcogitabilique fieri meretur homo Dei non Deus, sed tamen quod Deus est, homo ex gratia quod Deus est ex natura (Inter Opera S. Bernardi, tom. 3, p. 358 ed. Mediol. 1852). — S. Bonaventura: Anima nata est perfici beatitudine vera... nata est ad percipiendum bonum infinitum (I, dist. I, a. 3, qu. 2)... facta est capax boni sufficientissimi (I, dist. I, a. 3, qu. 1, qu. 2). — S. Thomas: Visio beata est secundum naturam animae rationalis, sc. secundum naturam suam capax est eius, prout sc. ad imaginem Dei facta (III, qu. 9, a. 2 ad 3).

(2) Psal. 67, 28.

velut a longe salutando alloquere et dic in voce (1): Ubi nunc opprobria exprobrantium, quae quondam ceciderunt super vos? Ubi capita inclinata, oculi demissi, quae gravitatem cordis vestri ostendebant? Ubi, quaeso, interiores cordis mordentes angustiae? Ubi gemitus et lacrimae? Ubi facies pallida ac macie confecta propter mille pericula? Paupertas et egestas et omnis defectus quo devenit?

Quomodo siluit vox illa miserabilis, qua gemendo dicere solebatis: O mi Deus, quantum patior, quam diu crucior, examinor et affligor! Ubi nunc omnes, qui vos despiciebant, qui tribulabant, qui labores vestros tulerunt (2), et ad amaritudinem vitam vestram perducebant? Non auditur plus vox adhortantium ad pugnam et dicentium: Viriliter agite et pugnate cum hoste et mundo et carne! Itemque: *Sumite scutum, arripite clypeum, polite lanceas* (3), manete in castris! Nocte et die armati estote, *succincti lumbos vestros in veritate* (4). Nec auditur plus haec vox occultae exhortationis, quam intra vosmetipsos tempore visitationis gratiae habere solebatis dicentes: Nunc praepara animam tuam ad tentationem, ut, cum spiritualis laetitia abscedat, tristitia inordinata non absorbeat (5). Non auditur plus haec vox quondam vobis assueta: O mi Deus, ut quid dereliquisti me? *Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?* (6). Quin potius dulciter resonare audio in cordibus vestris hanc vocem iucunditatis et laetitiae dicentem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (7).

---

(1) Eccli. 39, 17.
(2) Sap. 5, 1.
(3) Ier. 46, 4.
(4) Eph. 6, 14.
(5) 2 Cor. 2, 7.
(6) Psal. 41, 9.
(7) Matth. 25, 34.

Ubi sunt nunc omnes tribulationes et adversitates, angustiae et miseriae, et cuncta mala, quae in mundo passi estis? O Deus, quam velociter cuncta illa praeterierunt, et sic sunt tamquam ea, quae nunquam fuerunt. Mirum in modum cito comparuerunt et cito disparuerunt. O mi Deus piissime, quam incomprehensibilia et abscondita sunt iudicia tua valde a filiis hominum! Eia vos electi et dilecti filii altissimi: Ecce venit hora, ut iam non plus fugiatis nec abscondamini in angulis, induti vilibus tamquam humiles et abiecti, omnique honore indigni, et velut opprobrium hominum et abiectio plebis. Tanta namque gloria et honore estis coronati, tanta dignitate et excellentia sublimati in aeternum et ultra, ut vestrum praeconium nullus sensus queat aestimare, nulla sufficiat lingua enarrare.

O vos caelestes principes, o nobilissimi reges et imperatores, o filii Dei excelsi, *divinae consortes naturae* (1), quam immensa hilaritate facies vestrae videntur perfusae. Corda vestra quam copiose et supereminenter cernuntur supereffluere prae exsultatione. Serta defertis aurea ineffabiliter micantia. Facie corusci, indumento splendidi, cantu iucundi, sertis redimiti. O quam dulciter intonant voces vestrae dulcisonae cum gratiarum actione dicentes: Eia, *benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo in saecula saeculorum* (2) ei, cuius benignitate protecti, cuius misericordia salvati et cuius bonitate in aeternum regnaturi sumus: Tibi laus et gloria in saecula! Circumspice nunc et vide per gyrum regnum hoc gloriosum, deliciis repletum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti. En haec est patria caelestis, mansio requietionis, locus retributionis et regnum perennae felicitatis.

---

(1) 2 Petr. 1, 4. (2) Apoc. 7, 12.

DISCIPULUS: O stupor et admiratio immensa de tantorum profunditate mysteriorum, omnem intellectum transcendentium et soli Deo plene cognitorum! O abyssus incomprehensibilis divinae profunditatis, quanta in te latent mirabilia! O quid audio! Quid video! Quid denique in memetipso experior magnalium Dei operum, quae nulla sufficeret enarrare lingua, in civitate hac gloriosa. Multa quidem gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; sed nihil est ad ea, quae in te latent insignia. Vere nunc cognovi, quia *verus est sermo, quem* saepius *audivi super mirabilibus tuis et gloria tua, et non credebam narrantibus, donec* ipse *veni, et vidi oculis meis, et probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuit. Maior est sapientia et gloria tua quam rumor, quem audivi. Beati viri tui, et beati servi tui, hi, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam* et vident gloriam tuam (1). Et nunc, rex gloriae, liceat famulo tuo porrigere petitiunculam Domino suo, et ne confundas faciem meam. Maneat, obsecro, famulus tuus hic iuxta te deinceps, et non revertatur in domum suam. Siquidem valde bonum est nos hic esse. Audi, quaeso, servum tuum humiliter coram te prostratum, et da nunc locum ad manendum tecum in civitate hac gloriosa!

SAPIENTIA: Nequaquam. Necdum enim *completa est humilitas Sion* (2). Nondum venit hora tua. Tempus pugnandi tibi adest, non venit hora regnandi. Tempus instat merendi, non venit tempus remunerandi. Viriliter age, quia adhuc multa tibi debentur pro fide Christi certamina.

---

(1) 3 Reg. 10, 6-8.
(2) Thren. 4, 22.

Capitulum Duodecimum.

Determinatio quarundam obiectionum, quae in praecedentibus sunt omissae.

Felicem sane hunc locum perennis beatitudinis oculo purissimae contemplationis, ideo tibi monstratum noveris, non ut ibidem pro nunc remanere debeas, sed ut in omni colluctatione et adversitate scias te huc convertere, et cuncta tibi adversa tolerabilius possis sustinere, et ut querulosis impugnatoribus respondere valeas dicentibus: *Quare via impiorum prosperatur?* (1) et cur Deus in hoc mundo soleat suos castigare dilectos. Itemque ut respondeam querimoniae tuae, quam pridem tam flebiliter proposuisti contra me dicens, quod videlicet propter arctitudinem viae, quae ducit ad vitam, multi inter eos, quos cum magno labore et dolore Domino acquisisse gaudebas, retrorsum abiissent.

Nam si diligentius inspicias, invenies procul dubio, quia res haec nimium consueta est; nec tibi soli hoc accidisse, sed et Sanctissimis quibusque Patribus manifestissimum est. Numquid omnes perstiterunt, qui per verba mea et Apostolorum crediderunt? Vel numquid hac ex causa Paulus vas electionis et doctor gentium in vanum se cucurrisse et laborasse conqueritur? Quinimmo strenuissime discurrens, ubique cum tanto labore et sollicitudine evangelium latissime gentibus praedicavit, epistolas misit, et tamquam nutrix filios suos fovit, ac nomen Iesu coram gentibus et regibus portavit et filiis Israël. Sed quid? Ubi sunt nunc Ephesii et Galatae atque

(1) Ier. 12, 1.

Corinthii, propter quos se tantum laborasse, et plagis ac mortibus se frequenter exposuisse gloriabatur? Aut numquid Paulus et ceteri Apostoli atque doctores ideo a praedicatione et animarum destiterunt salute, cum perceperunt filios suos recalcitrasse, et a pseudoapostolis praeventos esse? Aut numquid propterea segnius egerunt? Nequaquam. Sed ubique verbum Dei disseminantes, et, quod in se est, facientes, fructum inde proventurum divinae ordinationi ac voluntati commiserunt. Unde habes in Actibus Apostolorum: *Et crediderunt*, inquit, omnes, *quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam* (1).

Sic nimirum et natura sagax arbores frondibus ac floribus ornare consuevit, ut interdum florum tempore nec folium quidem in arbore quavis appareat, sed tota floribus onusta videatur, pulchrisque coloribus ac gratis odoribus redolere sentiatur. Sed cum ad exspectatam fructuum productionem ventum fuerit, a plerisque arboribus hoc, quod se pulchre ostenderat, defluit et perit, ut millesima pars vix manere cognoscatur. Sed et prudens paterfamilias, multas habens in horto arbores, propter casum unius vel plurium, a plantatione nova non desistit, sed, ubi arbor una ceciderit, aliam subrogare festinabit. Ignoras, quod *lignum habet spem; si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami eius pullulant* (2)? Sed et *septies* in die *cadit iustus, et resurgit* (3). Stat sententia eius inviolabilis, qui dicit: *Novit Dominus, qui sunt eius* (4). Sed *quis cognovit sensum Domini* (5), aut quis mortalium poterit scire, qui sint damnandi, vel qui aeternaliter coronandi, maxime ex frequenti mutatione liberae voluntatis? Videas hunc de reclusorio

---

(1) Act. 13, 48.
(2) Iob 14, 7.
(3) Prov. 24, 16.
(4) 2 Tim. 2, 19.
(5) Rom. 11, 34.

veluti de Christi consortio, aversum a summo bono, ruere in infernum aeternaliter damnandum; illum autem exire de prostibulo corde contrito, et angelorum iungi collegio aeternaliter salvandum.

Proinde indifferenter omnibus sermo salutis est impendendus. Nam quo minime credis gurgite piscis erit. Ideoque ubique tibi pendeat hamus. Siquidem ad multas lupa tendit oves, praedetur ut unam. Gloriose consummato cursu certaminis, in gaudia Domini sui intrabit, qui centum milibus praedicans, vel unam animam lucratam Domino suo reportaverit. Nec ideo minus gloriose, si nullam, dummodo fideliter pro posse faciat, quod faciendum est pro salute. Nempe miles strenuus in certamine commendatur, si constanter et *legitime certaverit* (1), etiamsi Domino suo non obtinuerit triumphum. Sic et doctor gentium repositam sibi habere coronam iustitiae gloriabatur (2), non minus quam si omnes hi, quos converterat, in vera fide et unitate matris Ecclesiae perstitissent. Nam nulli dubium hoc, quod experientia quoque in hoc casu docet, quia nonnunquam doctoris animus plus affligitur labore et dolore, ubi se inaniter putat laborasse, quam ubi fructuose se aestimaverit egisse. In isto namque gaudens complacet sibi in Domino; in illo autem dolens anima sua ad seipsam conturbatur (3), et insuper toxicatis invidorum iaculis vulneratur.

Moyses, qui a Domino assumptus et electus fuit, ut populum suum de terra Aegypti educeret in terram promissionis, quot putas milia fuerunt hi, quos eduxit? Et ecce de his duo soli pervenerunt, ceteri perierunt. Gedeon, quem spiritus Domini induerat (4), ut populum suum a Madianitis liberaret, multos ad

---

(1) 2 Tim. 2, 5.
(2) 2 Tim. 4, 8.
(3) Psal. 41, 7.
(4) Iud. 6, 34.

se socios elegerat, ut contra eos pugnaret; nutuque Domini apud aquas probati, tot milia reiecti atque reversi sunt, et soli trecenti viri, qui remanserant cum eo, certamini se dantes hostes vicerunt. Isai multos elegantes habuit filios; solus David in regem eligitur. Sic multi reges iudaici populi, inter quos omnes soli tres excelsa abstulerunt. Sic igitur per singula discurrendo, invenies te errasse, dum ordinem universi pulcherrimum, et non nisi a divina sapientia institutum, in generatione et corruptione, et libertatis arbitrii flexibilitate, ad tuam voluntatem retorquere voluisti.

Proinde de cetero diligenter cave, ne in futurum pusillo animo fias, sicut tunc, cum tuos confractos pedes et propter laborem viae inflatos, omnium conditori sursum porrexisti, et cur laborem et dolorem tuum non respiceret impatienti animo ostendisti, eo quod quondam oviculam per te a faucibus inimici ereptam, rursum recidivare permisit, et quod non potius ipsam de hoc mundo in sancto adhuc proposito exsistentem migrare fecit, neque te ac seipsum de eo, qui eidem ruinae occasionem dederat, statim vindicavit. Sed potius cogitabis, quantum ego laboravi, cum genus humanum redemi, et tamen apud multos parum profeci. Unde et tunc quadam caelesti illuminatione, cum turbato animo me argueres, tale divinum simplicitati tuae habuisti responsum: *Sufficit discipulo, si sit sicut magister eius* (1).

Si, inquiens, sermonem meum non servaverunt, nec vestrum servabunt. Recole, quod in caelestibus castris lapides vivos honore et gloria praecipuos, non nisi tunsionibus, pressuris multipliciter expolitos vidisti. Sed fortassis occulta cogitatione praedictis obviare contendis, asserens aliter fuisse olim, atque

(1) Matth. 10, 25.

aliter nunc, eo quod in his extremis temporibus caritas paene refriguit, et quod prophetae sancti mortui sunt, miracula quoque pro magna parte cessaverunt, et quod multiplicata sint mala in terra. Fideles quoque diversi perverse viventes, propter multos retrahentes difficiliores sint ad convertendum, procliviores vero ad recidivandum; ideoque a tali fructificatione cessandum esse.

Ad quod ego: Quanto appropinquante iam mundi termino homines periculosius deficiunt et deteriorantur, tanto plus indigerent, ut ferventi aliqua doctrina et gratia renovarentur. Et quanto damnabilius prophetae sancti et amici Dei obierunt, falsique prophetae loco eorum surrexerunt, tanto magis necessarium esset fervide docere, et pro veritate iam dormitante animam ponere.

Falsos autem prophetas appello omnes hos, qui quod verbo dicunt, facto contradicunt, sicut hi, qui docent avaritiam fugiendam, et ipsi pecuniam totis sitiunt visceribus: Qui clamant gloriam mundi spernendam, et ipsi toto conamine vanos quaerunt honores atque promotiones: Qui dogmatizant curiosa abicienda et simplicia esse sectanda, ipsi vero curiositati excessive deserviunt. Et, ut de aliis taceam, videas plerosque tantam quaerere in vestibus culturam, quas Sancti Patres ad simplicitatis ac innocentiae signum ferre suis posteris mandaverunt, ut non minus quam saecularis pompae imaginem praeferre videantur. Videas hunc panno pretiosissimo stolatum incedere, et rugas per scapulas descendentes habere, ac plicas centuplicatas circumiacentes portare, ut quasi toga philosophica indutus, et velut similitudo templi circumornatus procedere videatur. Alium vero chirothecas habentem in manibus, et calcios strictos atque rostratos et quasi ad saltandum aptos in pedibus. Quosdam autem portantes tunicas,

novitate quadam dissoluta, in forma et figura modo saeculari deformatas. Manicas scissas et adeo strictas, ut brachia non nisi cum magno labore possint subintrare. Tabulas eburneas dependentes, zonas sericas fulgentes, et cetera similia, quae levitatem et dissolutionem ostendunt, volentes per hoc placere mulierculis, et displicent Deo et ecclesiarum praelatis, omnibusque utriusque sexus hominibus honestis.

Quid, putas, cogitabunt hi, ad quos tales prophetae pro eorum instructione mittuntur, cum eos viderint non venientes in saccis velut antiqui prophetae fecerunt, sed cum scandalis et offendiculis multis? Spernendi utique erunt, diceturque eis illud proverbium: Medice, cura teipsum. Cuius enim vita despicitur, ait quidam, consequens est, ut et doctrina despiciatur. O quot detractiones et subsannationes ac irrisiones habebunt hi ab his, qui foris sunt! O quoties et quanti deridebunt illos! Nec immerito. Profecto namque res haec digna est risu. *Erubesce, Sidon, ait mare* (1).

Dicetur quoque eis hoc, quod dixit daemon cuidam monacho, qui tentabatur de longo pallio portando; quod cum habere non posset, matta pro pallio induebatur. At diabolus sedens retro super caudam mattae, quam post se trahebat, dixit fratri: O monache, si plus posses, utique et plus faceres. Nonne merito excusationem praeferre possunt delicti sui hi, qui pro regno temporali contendunt, dum haec et similia etiam in pauperibus et abiectis mundi huius hominibus tam crebro sine omni tergiversatione fieri conspiciunt? Mirum non est, si litigant illi infeliciter et contentiose pro imperio, dum tanta lis est de paupere regno. Quodsi haec curiositatis abusio

(1) Is. 23, 4.

in solis esset subditis, facilius morbo tam contagioso remedium adhiberetur.

Nunc autem et multi, qui ceteris verbo et exemplo praeire deberent, et quorum vestes et mores pro religiositate alios arguere deberent, hoc idem facere, immo, quod damnabilius est, hoc ipsum defendere non verentur. Hoc enim, quod arrogantiae vel curiositatis est, honestas vel utilitas esse ab ipsis vana ratione contenditur, dum hoc vel gratis datur vel diu durare probatur. Sed proh dolor *haec est* prudentia *saecularis*, *sapientia animalis vel diabolica* (1), dum utilitas temporalis bono praefertur spirituali. Quid igitur faciet pusillus grex, vascula infirmiora, sexus scilicet femineus, cum viderint viriles animos ad tales nugas deductos? Utique, dum coetus pastorum per abrupta graditur, necesse est in praecipitium grex sequatur.

Antiquitus non solum fiebant exhortationes de necessariis ad salutem, sed toto posse opera supererogationis extollebantur; et haec pietatis exercitia fidelibus suadebantur, tamquam ea, per quae saluti necessaria commodius acquirebantur, et acquisita conservabantur. Nunc vero plerique talia silentio transeunt timentes, ne, si lingua aliud quam vita sonaret, notam inhonestatis incurrerent. Et quod damnabilius est, non solum enim haec admodum utilia omittunt, sed et ea facientibus ac suadentibus molestias, quas possunt, inferre non desistunt.

Sic Ieremias sanctus eversionem Israël propter peccata populi in proximo futuram praedicens, dum catenam ligneam iussu Domini eis obtulisset, ut facilius eos ad poenitentiam movere posset, falsi prophetae obstiterunt, et eum multis afficientes iniuriis, catenas ligneas confregerunt, *dicentes: Pax, Pax. Et*

(1) Iac. 3, 15.

non erat pax (1). Nonne de hoc optime prophetavit, qui dicebat: *Qui minima negligit, paulatim defluit* (2)? Et hunc flebilem defectum invenies non solum in his, qui velut aquila ceteris in cognitione altius volasse cognoscuntur (3), sed et verissime in vitulo typico, quod se specietenus humilem et servilem personam ostendere consueverat. Copiosissime autem in leone, qui rugitu et clamoribus aures catulorum suorum implere dicitur in eorum suscitatione. Quartum autem animal mystice acceptum, scilicet homo, diutina iam defectione in tantum infirmatum est, ut de eo iam quasi desperatum esse nullus dubitet, qui tam manifeste videt, quod sibi illicita liceant cuncta, et absque timore ambulet post cordis sui desideria. Ceterae quoque creaturae, in antris et silvis seorsum commorantes, curiisque ac urbibus renuntiantes, saeculares urbanitates resumere et induere tam studiose quam periculose incipiunt, ut iam proh dolor vix sit locus diffugiendi, cum appropinquante mundi termino inimicus homo rete suum expandere et zizania seminare nimis festinet. *Beati* prorsus *mortui, qui iam in Domino mortui sunt* (4).

Recole factum notabile, quod accidit cuidam ex praedictis. Qui, dum in prophetando vel exhortationem salutarem hominibus faciendo, exclamationem faceret non modicam, de hoc scilicet, quod caritas et affectus hominum multorum ad Deum et sanctos eius defecisset, et quod Christus suam Mariam Magdalenam ultra in mundo non inveniret, quae sibi tot obsequia faceret ut olim: Quomodo post completum sermonem quaedam domicella ipsum adiit, eique quasi substomachando dixit: O frater, si Maria nunc sicut olim inveniret suum Christum, utique

---

(1) Ier. 27, 28; 6, 14.
(2) Eccli. 19, 1.
(3) Apoc. 4, 7.
(4) Apoc. 14, 13.

Christus nunc quoque sicut olim inveniret suam Mariam: Intendens quod, si quidam de prophetis praedictis essent, sicut deberent, adhuc essent, qui eos cum omni devotione susciperent.

Porro, dum hanc puram veritatem, quae vitia palpare non novit, sermone quidem temperato, sed admodum constanter in medium profero, video te mente consternatum, timentem, ne forte hoc, quod tecum secreto confero, dum ad aures eorum, qui talia agunt, pervenerit, negligatur aut certe minus gratanter recipiatur. Hoc est ergo, quod displicet. Hoc est, quod te reprehensibilem reddit, quia te nimis timidum esse video in his, quae multorum ad salutem esse cognosco. Quid enim? Ieremias non es, sanctificatus in utero non es, propheta non es (1). Sed quid? Homo peccator et *armentarius vellicans sycomoros* (2). Verumtamen missus ab eo, a quo et illi: Quod et nomen et professio tua attestatur, a summo vicario, Iesu Christo confirmata. Quare formidas? Et si vanis ac dissolutis displicebis, tamen multis, qui in levitate animi non ambulant, sed secundum Sanctorum instituta Patrum honeste conversantur, ac seipsos et multos alios Deo lucrantur, placebis. An quaeris adhuc hominibus placere? Haec dico non quidem singularitates approbans, sed communi incedendum via bonum esse diffiniens et attestans. Sed heu ipsum, quod olim singulare fuit, nunc commune incipit esse; et quod nunc singulare est, quondam erat commune.

Nec debet fidelis et prudens discipulus ideo a coeptis desistere, quia causaris te audientes non habere; et item, quod hic sermo meus non capiat in eis, eo, quod non contineat quaestionum subtilitates aut sermonum per se loquentium utilitates temporales,

---

(1) Ier. 1, 5. (2) Am. 7, 14.

quae sola iam tamquam honoris promotiva vel temporalis commodi lucrativa carius amplectuntur et pretiosius comparantur et in usu a multis habentur, aliis neglectis: Praesens autem volumen solum contineat lamentationes et carmen, et vae, quae mentes vitiis torpentes excitant et corda sursum sublevant ad divina.

En Ezechielem Dominus ad populum mittit durae cervicis, dicente Domino: *Ipsi non audient te, quia nolunt audire me* (1). Mittitur sanctus propheta, et tamen antequam mittatur, se non proficere praedicitur. Ubi et Domini pietas perpenditur, qui vult omnes homines salvos fieri et remediis salutaribus non carere; et Iudaeorum duritia reprehenditur, qui beneficiis Dei ingrati, in sua obstinatione permanserunt. Attende nihilominus Ieremiam prophetam! Qui, cum librum legis Domini scripsisset, et hic a rege nequaquam acceptatus, sed scalpello scribae scissus et in ignem proiectus fuisset (2), pro tanto non destitit, sed huic alium ad iussum Domini scribendo continuavit.

Quod si nec istud quidem attendis, saltem iuxta consilium cuiusdam sapientis, tibimetipsi tuisque canas, si aures surdae sunt ceterorum. Sic igitur ab initio mundi diversi homines sancti et amici Dei altissimi, multa adversa sustinentes et patienter omnia ferentes praemia, quae vidisti, meruerunt aeterna. Modo coronantur et accipiunt palmam. Patet ergo ex praemissis, quam bonum sit servire Deo magis quam mundo, et quam iucundum amare caelestia quam terrestria atque peritura.

DISCIPULUS: Ad haec omnia virtutem meam multum excedentia, quid respondeam, omnino non

---

(1) Ezech. 3, 7. (2) Ier. 36, 23.

habeo, nisi quod digitum ori meo superpono, et imperfectum meum tuae benignissimae voluntati et perfectissimae maiestati committo: Hoc solum subinferens de tua gratia, quod stulti sunt et insipienter loquentibus similes, qui amorem tuum pretiosissimum et amorem mundi vanissimum ad invicem comparare tentant. Nam velut ignobiles *in sentibus esse pro deliciis computant* (1), cum et ratio eorum vana sit, eo quod ex multitudine, tali econtrario, hunc scilicet mundum diligentium amorem ipsius approbare, et ex paucitate tibi amore perfecto iunctorum amorem tuum improbare nituntur. Proh dolor *caeci sunt et duces caecorum* (2).

Magis enim ex hoc oppositum quam propositum faciliter probatur, dum constat multitudinem non ratione regi, sed magis affectu duci inordinato. Errasse proinde me nimium cognosco et cordis cum dolore meipsum accuso eo, quod minima quaeque laboris exercitia pro salute proximi facta multum ponderavi, et quod tam impatiens fui in adversis. O quam misericorditer parcis, cum hic adversa tribuis, et quam severe irasceris, cum semper prospera elargiris! Amabilis valde est tua paterna correctio. *Quem enim diligis, corripis, et quasi pater in filio complacet sibi* (3). Nullus conqueratur, quod tuorum oblitus sis tribulatorum. Quin potius oblivione aeterna horum oblitus es (4), quibus nunc ad modicum parcis, bona quaedam modica eorum remunerando, sed eos in aeternum damnare vis, eorum mala opera sine fine puniendo. Dignum igitur valde aestimo, ut hic adversitate continua premantur, quos tantis miseriis carere et tam immensam gloriam possidere decrevisti.

---

(1) Iob 30, 7.
(2) Matth. 15, 14.
(3) Prov. 3, 12.
(4) Os. 1, 6.

Capitulum Tertium Decimum.

Quam utile sit servo Dei in hoc mundo multas sustinere tribulationes.

Consolamini, consolamini, populе meus, dicit Deus vester (1). Animus quidam spiritualiter aegrotus mundanisque varietatibus plus, quam oportuit, subiectus, dum noctem adversitatis post diem incurrisset prosperitatis, remediorum oblitus praemissorum, coepit rursus anxiari et corde moestissimo animam suam coram Deo effundere, et quae passus fuerat adversa, quodam affectu compassivo tamquam carbones desolatorios (2) corde ignito ad memoriam revocare, et lacrimas effundere vehementes.

Cum autem discipulus sapientiae non haberet ad manus, unde spiritum in adversis pro Christo laborantem refoveret: Ecce ei desideranti et suspiranti iuvenis quidam pulcherrimus in visione astitit, qui sibi instrumentum quoddam musicale, quod psalterium dicitur, cruce signatum, ad manus porrexit, mentemque eius iterato sententiis spiritualibus foecundavit, praecipiens, ut iucunde et sapienter psalleret, et corda tristia seu moerentia in Domino Deo suo laetificaret. Sed et multi variis animae languoribus ac ceteris incommodis laborantes ei propius assistentes ad solatium laboris sui hoc ab eo fieri humiliter supplicabant. Qui accepto de manu eius psalterio, ad se rediens, et propositum intelligens, coram suo aegroto carmine assumpto a dicto prophetico sic exorsus est: Consolamini, consolamini, populе meus, dicit Deus vester.

---

(1) Is. 40, 1. (2) Psal. 119, 4.

Cumque haec et similia consolationis verba ad leniendum dolorem animi moerentis depromeret, noluit consolari, sed magis ac magis tristari coepit. Verba namque dulcia, dum moeror in cursu est, corda tristia interdum reddunt tristiora, sicut et harmonia, ut fertur, laetum reddit laetiorem, ac tristem tristiorem. Sic et animus devotus divino flagrans amore, quanto suavius divinam praesentiam post probationem amaram in se experitur, tanto plus totus in lacrimas ex improvisa laetitia resolvitur.

Eodem modo accidit in proposito, ut animae languenti materia gaudiorum in occasionem verteretur tristitiarum. Nam qui potius ridere debuerat, flere coepit supra modum. Interrogatus autem, cur fleret, vel quidnam haberet, respondit: Dimitte me, ut defleam dolorem meum, quia anima mea valde in amaritudine est. Qui dixit ei: Quid passus es? Dic mihi. Et respondit: En ego infelix, in annis adhuc adolescentiae constitutus, abii amicam mihi assumere, ut eius laeto perfruitus consortio, vitam agerem felicem. Et cum multas vidissem et optionem inter eas haberem, una ceteris pulchrior, ut mihi videbatur, complacuit oculis meis. Quae blandis sermonibus et amplissimis promissionibus se mihi exhibens, ceteris omnibus spretis in eam consensi et sponsam mihi accepi. Et cum non diu apud ipsam mansissem, et me salutem magnam eius ex coniunctu habiturum sperarem, proh dolor de amica facta est inimica. Agnus in leonem mutatur, et tota vita mea ipsa mediante dolore et miseria repletur. Dum enim in domo mea securus, ut putabam, residerem, et velut arbor frondosa necdum matura iuxta salices torrentis ramos expandere inciperem ac fructificare, haec, quam amicam aestimaveram, manum suam extendit contra me, et flores teneros algore hiemali constrictos arefecit, frondes avulsit, ficum

decorticavit (1); et, *dum adhuc ordirer, succidit me* (2). Hostes ipsa contra me crudelissimos suscitavit, qui me nocte ac die affligentes omnino non parcebant. Quibus dum cuperem resistere, eorum frequenti insultu nimium afflictus, corpore coepi languere iuvenili, et animus gaudens tristitia multa contabescebat. Post haec dolorem addens dolori et vulnus vulneri apponens, parentem dulcissimum unicum cordis mei, temporale solatium, quem velut animam meam diligebam, ipsa mihi abstulit, et me desolatum reliquit.

O si vidisses in tempore illo, quam lacrimosis vocibus flens et eiulans suspexi in caelum, petens, ut iram suam misericors Deus in mansuetudinem converteret, et ab afflictione miseri manum suam gravissimam paulisper relevaret (3), commota fuissent pia viscera tua! Sed ecce, quod et cum lacrimis tibi dicere cogor, furorem suum contra me haec, quam praefatus sum, crudelissima sponsa exercuit in hunc modum: Nam duas solas oves relictas habui, simul de scutella mea edentes et pariter mecum bibentes, et utilitati meae utcumque subservientes. Et, dum minime putarem, veniunt lupi vespertini, oviculas rapiunt et diripiunt, omni morte corporali infelicius eas laniantes. Qui, cum flens et eiulans post eas cucurrissem, vix tandem magno cum labore partem aliquam morticini vi extorsi, quomodo si pastor duo crura pecudis eruat de ore leonis. Quod videns adversatrix mea, manum suam in sanguine cruento mortuorum praedictorum tinxit, et me in faciem tangens atque sanguine conspergens, *opprobrium me insipientibus* dedit (4). Tribulationes morte infeliciores immisit, et claritatem lucernae micantis

(1) Ioël 1, 7.
(2) Is. 38, 12.
(3) 1 Reg. 6, 5.
(4) Psal. 38, 8.

exstinxit. Vocem iucunditatis abstulit, ac laeta et cara universa tulit. Doloribus saevissimis et incredibilibus cor meum a summo usque deorsum convulneravit. Flebant tunc multa pia corda, quae haec videbant, et altius ingemuere, nonnulli percutientes pectora sua, vehementissimae afflictioni compatientes.

Quidam autem illic stantes subsannabant miserum, capita sua moventes, ac ei, quod patiebatur improperantes. Quid multis morer? En tribulatio haec saeviens tantum invaluit, ut ego morsque uno tantum, ut ita dicam, gradu divideremur. Nec adhuc destitit haec, quam maxime diligebam, sed istis tribulationibus novas continuavit. Etenim nemus foliorum viriditate venustum, cum magno labore et studio a pueritia mea plantaveram, cathedrae honoris contentivum, de qua gloriam et honorem me recepturum sperabam. Cumque iam tempus adesset, ut meo fruerer labore, cathedra subvertitur et nemus in alterius cuiusdam redigitur dominium, et labor omnis perditur ac finis intentus frustratur. Et sic velut in altum elevans, allisit me valide (1). His malis adhuc recenter crassantibus, magnam multitudinem quorundam velut serpentium et animalium venenatorum concitavit adversum me, quae vehementissimo impetu me invaserunt, nunc simul, nunc divisim me affligentes. *Frater tunc eram leonum et socius struthionum* (2). Canes rabidi adversum me latrabant, scorpiones a secreto vulnerabant. Serpentes quodam vento fetido in me sufflabant ac sibilabant, et faciem meam conspuere non verebantur. Sicque omni genere poenarum me laedentes ac illudentes, vitam meam ad amaritudinem perducebant. Quid plura? Tempus non sufficeret, si singula adversatricis meae

(1) Psal. 101, 11. (2) Iob 30, 29.

flagella, quibus me usque ad hanc horam castigavit, vellem enarrare. Sed dicere libet cum propheta: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (1). Haec autem ex abundantia cordis, propter vocem iucundae consolationis tuae, de plenitudine cordis, simul cum defluentibus lacrimis violenter eruperunt.

Haec, cum discipulus audisset, intellexit mysterium esse desponsationis aeternae sapientiae, quae suos amatores temporalibus consuevit tribulationibus probare, et probatos sibi in amicitia copulare.

Et conversus ad eam dixit: O divinae sapientiae abyssus imperscrutabilis, o totius pietatis pelagus interminabile, quare sic affligis diligentes te, et te modicum curantes collo permittis incedere erecto? An ignoras tu, qui es plasmator omnium, infirmitatis humanae debile nimium esse fundamentum, et quod *corpus, quod corrumpitur*, in tantum *aggravat animam* (2), ut non possit semper ea, quae ventura sunt, inspicere, sed cogitur magis ad ea, quae in prospectu sunt, inclinationem habere? O clementissime Deus, tribulationes nostras clementer considera, et virtutem patiendi praesta, ac tuis gratissimis consolationibus corda invalida ex alto confirma!

SAPIENTIA: Hinnulus recenter progenitus maternum refugium quaerit, capreae ubera petit; sed cum ad incrementa debita pervenerit, lac deserens, cacumina montium petit, inter lilia pascitur, et gregi suo libere sociatur. Puerilia iura lacti debita annorum iam maturitate transcendisti. Tempus est, *ut ablactatus a lacte, avulsus ab uberibus* (3), numero virorum fortium adiungaris. Exemplo igitur eorum disce, quid agere debeas, et quam patienter cuncta

---

(1) Is. 24, 16. (2) Sap. 9, 15. (3) Is. 28, 9.

adversa debeas sustinere, ut pariter et tu tribulationibus probatus, eorum numero cum gaudio sine fine socieris.

Ascende igitur *ad cor altum* (1), sursum erigere, et post tergum respice, ac vide turbam innumerabilem omnium sanctorum, qui a saeculo sunt; et animadverte, quoniam omnes, qui mihi singulariter placuerunt, singulares quoque in tolerantia adversitatum probati exstiterunt. Et ut de ceteris omnibus, quorum infinitus est numerus, sileam: Ecce ad manus est puer citharista, vir secundum cor Dei. *Quantas*, inquit, *ostendisti mihi tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti me, et de abyssis terrae iterum reduxisti me* (2). Ioseph, futurus Aegypti dominus, a fratribus suis venditus, et a muliere mala infamatus, carcerali custodiae mancipatus fuit. Silentio nunc pertranseo Abraham benedictum Domini, Moysen, electum a Domino, et ceteros patriarchas, prophetas et amicos Dei altissimi, quorum longanimitas spei non immerito speculum patientiae tibi esse deberet et te cordatum reddere in adversis.

Interroga generationes singulas, et annuntiabunt tibi; maiores tuos, et dicent tibi. Externus (3) quippe es, *ignorans introitum et exitum* tuum (4); et videbis, quia ridiculum est, quod pateris, si, quod pateris, debite librare et patrum passionibus volueris comparare. Ecce Isaias, gratiarum nobilitate insignis, serra lignea secatur. Ieremias in utero sanctificatus, qui diem hominis non concupivit, lapidibus obrutus crematur. Ezechiel crudeliter excerebratur. Daniel, vir desideriorum, in lacum leonum proicitur. Tres pueri camino ignis traduntur. Iob, exemplum patientiae, in manus inimici traditur. Tobias excae-

---

(1) Psal. 63, 7.
(2) Psal. 70, 20.
(3) Iob 8, 9.
(4) 3 Reg. 3, 7.

catur. Machabaei cruciatibus exquisitissimis interempti sunt. Et hi quidem patres bona temporalia in repromissione acceperant (1). Porro ab initio nascentis Ecclesiae *regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (2).

Nonne vides apostolos, amicos meos carissimos, in hoc mundo degere, et fame ac siti, frigore et nuditate laborare: Carceribus et plagis ac mortibus se exponere, et omnibus vitae praesentis laboribus et angustiis subiacere, nec deficere in tribulationibus, nec querulosis insistere vocibus, velut tu facis, sed gaudere in contumeliis, in tribulationibus laetari? Sanctos quoque martyres quis audeat aspicere et desidiosus vel querulosus esse? Qui *ludibria et verbera experti, vincula et carceres* (3) perpessi, innumera tormentorum genera passi, gloriosissime coronati sunt. Confessores ac virgines longum ducentes martyrium, corpora sua cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt. Quid fecit Alexius? Quid passus Eustachius? Quid denique adhuc hodierna die per totam fidei spatiosam latitudinem pro amore Dei patiuntur iuvenes ac virgines, sed et coniugatae ac viduae devotissimae, quorum magnitudo tribulationum si cognita esset, silentium ori tuo queruloso imponeret?

Nonne ad memoriam revocas exemplum memorabile valde de femina coniugata, Deo devotissima, quae veniens in confessione tibi aperuit, qualiter viginti annis cum marito suo vixerat, qui non ut homo, sed velut leo ferocissimus gladio evaginato ipsam multoties impetierat, et innumeris verberibus et contumeliis mulierem sanctam atque pudicam flagellaverat, in tantum, ut singulis horis ad aspectum viri mortem perhorresceret improvisam? Quae omnia devota femina patientissime ferens, nec murmurans aut

(1) Hebr. 11, 39. (2) Matth. 11, 12. (3) Hebr. 11, 36.

reclamans, pro salute impiissimi tibi orandum tam devote supplicabat. Nonne tunc sursum respiciebas, ac pectus tundens, corde verecundo proclamasti te nihil pati, sed otiose vagari?

Praeterea adhuc restat locus, unde tibi melius concludatur et salubrius consulatur. Achillem cordis tui in medium profero, collationes videlicet ac vitas Patrum, quas cotidie legis ac relegis et a quibus nec ad modicum libenter divelleris. His diligenter perspectis, satis mirabile est, si non tantum in eo profecisti, ut patientiam didiceris in adversis. Ubi est tuus Arsenius? Macarius quo devenit? Oblitus es Antonii? Paulum et Hilarionem proiecisti? Congrega dispersiones cordis tui, et reminiscere Patrum divinissimorum, qui in Thebaide ac Ægypti partibus ac ceteris eremi locis degentes, et recessus montium, praerupta petrarum, anfractus silvarum petentes, horridam vastitatem desertissimae eremi quaesierunt, ibique ab humanis aspectibus semoti, innumera adversa devotissime tolerantes, cunctis admirabilem duxerunt vitam.

Nonne erubescis, cum hos prospicis et societati eorum annumerari toto mentis affectu concupiscis, et quod eorum sufferentias vel in modico imitari non vis? Vis inter tot strenuissimos milites desidiosus esse et somnolentia torpescere? Absit absit! Tempus iam praeteriit. Ecce in virum mutatus es! Abice amodo puerilia, et praepara te ad bella robustiora!

DISCIPULUS: Vere tantorum *memoria* Patrum, *tamquam musica in convivio vini et in omni anima* tribulata *suavius melle indulcorabitur* (1). Cum hos viros gloriosos caelestis aulae milites eximios, et

(1) Eccli. 49, 2.

eorum gesta stupenda, pauper vermiculus oculo cordis intueor, profecto me nihil esse, nihilque pati me cum gemitu cordis exclamo; sed et si aliquid tristabile me habere putabam, ad eorum aspectum perdo, suaviterque respiro. Sed vellem scire, utrum infortunia casualia, et tribulationes involuntariae, salubres vel etiam meritoriae exsistant; et item, quare amicos potius adversis quam prosperis soleas exercere.

SAPIENTIA: Una interrogatione tria, ut videtur, dubia tibi solvenda poposcis, videlicet de casu, de modo et causis tribulationum. De primo fixam hanc sententiam teneas, quod nulla tribulatio, sicut nec quicunque alius eventus fortuitus potest dici casualis, relatus ad primam rerum causam, licet per reductionem ad hanc vel illam legem casualitatis incurrat. Unde quaevis tibi occurrens adversitas, eius nutu et providentia geritur, cuius virtute cunctae res creatae sunt et in suo esse conservantur.

Porro de involuntariis tribulationibus scire debes, quod licet involuntarium, in quantum huiusmodi, non sit meritorium, verumtamen, si prudens animus hoc, quod involuntarie illatum est, voluntarie pati voluerit, et voluntatem hactenus rebellem ad virgam Dei inclinaverit, virtutem faciens ex necessitate: haud dubium, quin salubre et meritorium fiet hoc, quod ante pestiferum videbatur, et ad spirituale virtutum proficiet incrementum. Sic revera Dei sapientia innumeros a principio mundi ad se invitos trahit, et rebelles intrare compellit (1). Sed quare electi, ut plurimum, hic adversis deprimantur, hoc in promptu pro ratione habeas, quia, cum *proni sint sensus hominis ad malum ab adolescentia sua* (2),

(1) Luc. 14, 23. (2) Gen. 8, 21.

saepienda est via electorum spinis tribulationum, ne noxia delectatio materiam praebeat delinquendi, sed, dum electus quisque in imis continuis tribulationibus premitur, ad superna tendere etiam invitus cogatur.

DISCIPULUS: Tribulationes temporales utiles quidem ac salubres esse non discredo, si modum et possibilitatem patientis non excedant. Sed ecce eorum praesentia afflictiva tam vehementer angit et movet, ut interdum quoque virtutem humanam excedere videantur.

SAPIENTIA: Hic mos cunctorum solet esse miserorum, ut flagella sua aliorum flagellis aestiment praeponderare, et sua quisque damna sentiens magis defleat quam aliena; et qui se putat hac specie flagelli supra modum praegravari, mutata specie eadem difficultas querimoniae remaneret. Unde omni exceptione semota, voluntati divinae te subice, et flagella eius excipe cum affectu. *Fidelis enim Deus, qui non patietur tentari suos supra modum, sed faciet cum tentatione proventum, ut possint sustinere* (1). Quid igitur adhuc trepidas? Quid times? Piissimus namque est, ut velit, sapientissimus, ut optime noverit, quid expediat pro unoquoque, et potentissimus, ut ubi homo ex se deficit, suppleat manus omnipotentis. Igitur iacta cogitatum tuum in Domino! Committe te Deo, crede te Deo, *omnem sollicitudinem tuam in ipsum proice, quoniam ipsi cura est de te* (2). Accede et fiducialiter dic ad ipsum: Pater mi, non mea, sed tua voluntas fiat. Cum autem tribulatio advenerit, exi hospiti tanto obviam, benigne eum recipiendo, et dic corde iucundo: Beneveniat amica mea tribulatio!

---

(1) 1 Cor. 10, 13. (2) 1 Petr. 5, 7.

DISCIPULUS: O Deus, quam facile est hoc dicere, et quam difficile verba factis compensare; quia tribulationum prementium saeva vulnera sunt valde afflictiva.

SAPIENTIA: Si tribulationes non affligerent, tribulationes appellari non valerent. Tribulatio cum praesens est, moestitiam praestat, cum autem praeterierit et victa fuerit summe laetificat. Brevem habet amaritudinem, et longam consolationem. Frequens tribulatio consuetudine tandem vincitur, ut iam quasi non esse tribulatio, aut levis esse videatur. Qui enim in monstris assuetus est, monstruosa minus curabit. Divinae dulcedinis immensa copia, in quantum huiusmodi, non esset tibi adeo meritoria nec tanta laude digna, quantum ex fervida caritate tribulatio patienter perpessa. En plures invenimus, qui prosperis successibus elati deciderunt, quam qui adversis fracti a proposito spirituali corruerunt. Denique, si in astrologica disciplina floreres, et omnium liberalium artium secreta penetrares; si admirabilis in omni sapientia appareres; si cunctos rhetores ac dialecticos facundia et argutiis praeires: haec omnia non tantum ad bonam tibi vitam conferrent, quantum hoc unum ad salutem necessarium, scilicet ex *caritate, de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta* (1) teipsum deserere, et totum te Deo in omni tribulatione committere, eiusque voluntati parere patienter. Nam illud bonis et malis commune est; istud autem solis electis inesse potest. Tanta est praeeminentia aeternae gloriae ad temporales ac transitorias passiones, ut diligens perspector deberet potius eligere multis annis in fornace ignis ardentis velle torqueri, quam minimo praemio in futurum sibi reservato velle privari; quia labor cum fine, merces sine fine.

---

(1) 1 Tim. 1, 5.

DISCIPULUS: O summa et ineffabilis pietas, quam suavissime et peroptime organa haec in aure resonant tristiori. O mira circa nos tuae pietatis dignatio, eo quod circa hominem miserum et afflictum ac desolatum sic *apponis cor tuum* (1), et quod sic dignaris lenire dolentes et consolari tristes ac moerentes. Te namque sic dulciter psallente animus tristitia pressus alleviatur, et tua caelestis modulatio spiritum tristitiae mentem exagitantem saltem ad tempus fugat, ut levius, quod patitur, ferat. Quodsi etiam daretur optio, mallem potius adversa continue pati et tua consolatione dulcissima sic foveri, quam adversis carere et unctionem tuam pretiosissimam non habere. Eia age nunc, quod coepisti; quia se quasi nihil pati existimat, cui tam dulciter aeterna sapientia in adversis citharizat.

SAPIENTIA: Audire vis citharam spiritualis musicae pulchre resonantem? Sursum erigere, et pretiosum fructum temporalium adversitatum diligenter attende! Sicut enim in cithara chordae proportionaliter protensae sonum reddunt suavem, sic electus quisque, dum adversitate premitur, quasi vi quadam extra se tenditur, et ad reddendam dulcem ac caelestem melodiam plenius habilitatur. Sciendum ergo, quod temporalis tribulatio ab hoc quidem mundo insanissimo vilipenditur, a summo autem iudice Deo pretiosa valde aestimatur. Ipsa iram iudicis exstinguit, et eius severitatem in amicitiam et benignitatem convertit. Qui adversa libenter pro Deo patitur, Christo passo assimilatur, et ideo ab eo, tamquam a consimili, nexu dilectionis praecipuo constringitur. Fructus eius balsamiticus imputribilem praestat vigorem. Sicut stella matutina solis vicinum huic mundo prae-

(1) Iob 7, 17.

nunciat ortum, sic tribulatio hominis similiter facit. Nam ipsius supercaelestis solis animam tribulatam invisere volentis iucundam demonstrat propinquitatem, et internam arguit consolationem subsequentem. Et sicut nox tenebrosa diem praecedit luminosam, et hiemis asperitas aestivalem antecedit iucunditatem, sic bonarum mentium internam aeternamque ipsa praeire solet consolationem. *Sicut arcus refulgens inter nebulas gloriae* (1) signum est divinae pacis ad genus humanum, sic tribulatio saeviens signum est divinae propitiationis ad animum contritum.

Ipsa gratiae praeambula, spei socia, dilectionis puerpera. Ipsa activam vitam suo munimine protegit, et contemplationis oculum subtiliter acuit. Haec est, quae hominem carnalem facit spiritualem, ac mentem terrestrem mutat in caelestem; quia sursum tendere cogitur, quod se iuxta se diffundere prohibetur. Mundi huius ipsa generat desertionem, sed divinam parit familiaritatem. Amicos consuevit diminuere, sed gratiam solet augere. Frequenter namque ab hoc mundo tamquam vile proicitur hoc, quod a summo bono eligitur, et quod eius dilectione singulari decorari meretur. Ipsa est arcta via sed secura et compendiosa ducens ad vitam.

Perpendat nunc unusquisque sensatus, quam stultus hic esset, quicunque eius frequenter pensaret utilitatem, et ipsius vellet habere supportationem. O quam innumeri somno peccatorum profundissimo obdormierant et morte perierant spirituali, quos infelix absorbuerat iniquitas: qui adveniente virga divinae correctionis, velut de gravi somno ac mortis imperio excitati, vitam in melius commutaverunt, et *opera tenebrarum* abicientes, *armis lucis* induti sunt (2).

---

(1) Eccli. 50, 8. (2) Rom. 13, 12.

O quot sunt in mundo captivi, qui per manum altissimi velut animalia indomita et aviculae incaveatae tribulationibus se prementibus inclusi tenentur, quibus si facultas adesset, otio resoluti a statu diffugerent propriae salutis! O quanti sunt, qui gravissima commisissent peccata, qui multa crimina incurrissent, si non pia quadam dispensatione divina per tribulationes praeservati fuissent!

Quid namque est, quod aeque cor tumidum et animum elatum, ac hominem ambitiosum seipsum magis faciat cognoscere et non alta sapere, sed humiliter in seipso consistere ac timere, et quod proximo patienti condescendere doceat? Haec est nutrix humilitatis, doctrix patientiae, custos virginitatis, comparatrix aeternae felicitatis. Tribulatio habita est adeo salutifera, ut vix sit, qui ab eius se abscondat (1) bonitatis aspergine, sive sit de incipientium numero vel proficientium seu etiam perfectorum. Rubiginem aufert peccatorum, incrementa praestat virtutum, et ubertatem confert gratiarum. Quid hoc thesauro pretiosissimo utilius? Ipsa namque peccata tollit, purgatorium minuit, repellit tentationes, exstinguit carnalitates, spiritum renovat, spem roborat. Vultum exhilarat, conscientiae affert serenitatem, et internorum gaudiorum continuam praestat ubertatem. Ipsa est potio sanativa, herba salutifera super omnes herbas paradisi terrestris. Corpus corruptibile castigat quidem, sed animam vegetat immortalem. Anima devota saginatur tribulatione, sicut rosae ac lilia foecundantur caelesti rore. Ipsa tribuit sapientiam, adducit circumspectionem, et hominem inexpertum exercitatiorem facit.

Qui non est adversa passus, quid scit? Qui non est tentatus, qualia scit? Ipsa est donum Dei electum,

(1) Psal. 18, 7.

virga amorosa, plaga paterna. Ipsa voluntarios invitat, et rebelles ad se trahere consuevit voluntates. Homini patienti aeque subserviunt tam adversa quam prospera; amici et inimici ei aequaliter famulantur. Quoties quaeso frendentibus adversariis et stridentibus adversum te inimicis frenum silentii imposuisti, cum eos per tuam mansuetudinem et patientiam cordisque hilaritatem impotentes reddidisti? Ego, qui cuncta creavi ex nihilo, tribulationes improvisas undecunque super electos meos induco, ne eorum immenso priventur beneficio. Nam virtus per adversa probatur, proximus aedificatur, Deus glorificatur. Patientia in adversis est *velut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii* (1), cuius odor suavissimus ex igne tribulationis procedens ante oculos meos iugiter ascendit, et me sibi placabilem reddit ac totam caelestem curiam in admirationem suspendit. Non tantum solent homines mundani terreno militi strenue in torneamento decertanti intendere, quantum tota caelestis frequentia favere et intendere solet homini spirituali viriliter militanti in via.

En omnes sancti fecerunt homini patienti credentiam, quia calicem Domini mixtum tota vita sua praegustaverunt, et nunc ipsum formidolosis adhuc mentibus suadent, et nil mali habere, sed esse potum salutiferum omnes unanimiter acclamant. Virtus patientiae suscitationi mortuorum et ceterorum operationi miraculorum praefertur. Ipsa martyrii confert gloriam, et palmam praestat victoriosam. Veste purpurea induitur, serto de rosis rutilantibus redimitur, aureo sceptro adornatur, regio diademate insignitur. Carbunculus lucens in aureis monilibus: sic patientia se ostendens in adversis eventibus.

(1) Cant. 3, 6.

Gemmula radians, odor suaviter fragrans, et favus undique distillans: sic religiosus inter fratres suos patienter ambulans et defectus fratrum aequanimiter portans. Vox eius dulcisona in caeli palatio, corde iucundo, cantum sibi vendicat singularem, quem cantare nequeunt, qui in huius vitae adversis per animi tolerantiam eum cantare non meruerunt. Quid plura? Nec lingua posset dicere, nec littera exprimere, quam perutile sit adversa patienter sustinere. Verumtamen hoc solum de cunctis praemissis a memoria tua non excidat, quod tribulati vocantur ab hoc mundo miseri, sed a me censentur beati; quia mecum sine fine sunt regnaturi.

DISCIPULUS: O quam evidenter nunc apparet, quis es! Te namque esse illam praeclaram cunctis mortalibus incomparabilem sapientiam manifestissimum est, et quae veritatem agnitam mellifluo quodam sapore et suavissima eructatione ad lucem producis, nec ullum dubitationi locum relinquis. Idcirco mirum non est, si omnia adversa libenter patitur, qui in eisdem a te tam dulciter consolatur. Pater mi dulcissime, ecce nunc pedibus tuis provolutus gratias refero, cordis affectu devoto, pro omnibus adversitatibus meis praesentibus, sed et pro transactis flagellationibus gravissimis, quibus me usque ad hanc horam castigare et erudire dignatus es: qui mihi quondam tam graves videbantur, quia ex hostili severitate prodire putabantur. Sed mirum in modum cuncta haec terribilia tamquam nubes matutina velociter pertransierunt, et sic sunt te operante ante oculos meos, quasi nunquam fuerint. Cogorque dicere cum sapiente: *Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem* (1). Etenim cum te unicum cordis

(1) Eccli. 51, 35.

mei thesaurum velut amoris speculum oculis amorosi cordis propono, et te ex intimis visceribus omnium desideriorum meorum affectuosissime complector, cunctorum obliviscor tristabilium, et in oblivionem cuncta veniunt, quaecunque laborem seu dolorem praestare potuerunt.

Capitulum Quartum Decimum.

Quam utile sit passionem Christi iugiter habere in memoria.

De rosis ad rosas procedimus, et violas relinquendo, ad lilia perquirenda properamus, dum de florifero germine passionum quorundam hominum divinorum, ad rosiferas passiones tuas, o flos campi, et rosa sine spina, aeterna sapientia, summo cum desiderio rursus cordis oculos retorquemus. Per tuam namque fructiferam ac venerabilem passionem cunctorum nobis spiritualium bonorum materia copiosissime subministratur. Ubi est enim gloriatio nostra? Ubi spes et laetitia cordis nostri? Revera in te uno, summo et vero bono, et pretiosissimo tuae passionis thesauro. Et ideo tam impretiabilem thesaurum delectat iugiter in corde retinere, et continue de ipso loqui, ac omni tempore mente et corpore cum ipso occupari. Utinam quoque et in cordibus nostris nunquam marcescat, sed semper rediviva pullulatione novus exsistat.

Felix proinde tu, o gloriosum lumen omnium ecclesiarum, qui volatu pennifero mutabilia cuncta supervolans, et arcanum divinitatis attingens, abyssum claritatis divinae oculis purioribus intuendo introisti, ac verba, quae non licet homini loqui, audisti; et tamen ad ima descendens, affectu quodam

mellito, passionis huius ob praeconium, de cordis thesauro in medium eructuasti dicens: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum* (1). O verbum mellifluum, dulcius super mel et favum, devotis mentibus iugiter ruminandum, de quo virtutis liquor emanat, qui miseris largiter gaudia salutis propinat.

Similiter et tu, caelestis figella, suavitate sermonis dulciter perornata, atque verbi aeterni divinissima maiestate illuminata, beatissime Bernarde, cui verbum incarnatum et in cruce suspensum tam dulciter sapiebat, ut haec et his similia verba suavia dulcissime perorares: *Fasciculus*, inquis (2) cum sponsa, *dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, amaritudinem dominicae passionis significans. Et hanc, ut ais, meditari, dixi sapientiam. In his iustitiae mihi perfectionem constitui. In his plenitudinem scientiae. In his divitias salutis. In his copiam meritorum. Ex his interdum mihi potus salutaris amaritudinis. Ex his rursum suavis unctio consolationis. Haec me erigit in adversis, in prosperis deprimit; et inter laeta tristiaque vitae praesentis, via regia incedentem, tutum praebet ubique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Non requiro sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro, *ubi pascatur in meridie* (3), quem intueor Salvatorem in cruce pendentem. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Panis illud, hoc lac. Haec mea interim sublimior philosophia, scire Iesum et hunc crucifixum. Haec, inquam, ex ore tuo, doctor venerande, commendata suscepi.

Ceterum ex his, o sapientia aeterna, hanc mihi summam colligo, quod, quicunque aeternam sa-

(1) 1 Cor. 2, 2. (2) Cant. 1, 12. (3) Cant. 1, 6.

lutem et praemiorum magnitudinem desiderat habere, arcem quoque cunctarum virtutum optat conscendere, scientiam quoque atque sapientiam obtinere, inter prospera et adversa aequanimiter stare, securam viam ambulare, et amaritudinem tuae passionis, tuaeque consolationis potum suavissimum desiderat praegustare: debet te Iesum, Iesum, inquam, crucifixum iugiter in pectore suo portare. O monile speciosum, electum super aurum et lapidem pretiosum, inter sponsae ubera iugiter gestandum, nec unquam oblivioni tradendum! Nunquam enim formosam puellulam adeo decoravit monile pretiosum in pectore portatum, quantum Iesus crucifixus menti inclusus perornat cor devotum. *Mala aurea in lectis argenteis* (1), Iesus Christus in corde amantis. *Vas auri solidum omni lapide pretioso adornatum* (2), est pectus fervidum huius nominis contentivum.

SAPIENTIA: Frequens passionis huius memoria indoctum quemque reddit doctissimum, et imperitos ac idiotas facit proficere in magistros, magistros, inquam, non scientiae, quae inflat, sed caritatis, quae aedificat (3). Ipsa est velut quidam liber vitae, in quo omnia saluti necessaria inveniuntur. Hic liber prae omnium philosophorum libris de omnibus (4) docens, mellea quadam dulcedine perunctus sentitur. Nonne tibi videtur sic esse? Nonne iam et os tuum et labia cordis tui perfusa, favum hunc dulcissimum sentiunt ubertim distillare? Nonne singulae litterae diligenter inspectae, velut aromatum cellae (5) tibi videbuntur patuisse? Felix, qui eius studio serio se intenderit; quia proficiet in con-

---

(1) Prov. 25, 11.
(2) Eccli. 50, 10.
(3) 1 Cor. 8, 1.
(4) 1 Ioan. 2, 27.
(5) Is. 39, 2.

temptu mundi et in amore Dei, cunctarumque virtutum et gratiarum sumet incrementum.

DISCIPULUS: O peramabilis sapientia, nil in hac vita dulcius cordi meo exsisteret, ut tu ipse melius nosti, quam ut passionem tuam iugiter devoto corde deflere possem. Sed proh dolor ariditate et duritia quadam constrictus, ad eius recordationem, prout dignum esset, non compungor; et ideo doce, o benigna Patris sapientia, qualiter etiam agendum mihi sit in hac materia tam pretiosa.

SAPIENTIA: Memoria passionis meae debet fieri non perfunctorie, nec cum festina acceleratione, maxime cum tempus aderit sufficiens et opportunum, sed cum matura et morosa ac praecordiali rememoratione et flebili quadam compassione. Nisi enim hoc dulcissimum lignum dentibus affectuosae discretionis masticatum fuerit, sapor eius licet immensus nequaquam movebit. Quodsi et quidem flere cum flente, aut dolere cum dolente non potes, saltem affectu devoto de tantis beneficiis tibi per eam gratuito exhibitis gaudere debes et gratias agere. Quodsi nec affectu compassionis nec gratulationis desiderio moveris, sed dura quadam affectione te in eius recordatione deprimi sentis: nihilominus in duritia cordis tui, ad laudem Dei, memoriam huius salutiferae passionis qualitercunque percurre, et quod a te habere non potes, ipsius manibus piissimis committas. Verumtamen persevera petendo, pulsando, quaerendo, donec accipias.

Percute bis silicem (1), interiori videlicet recordatione, et corporali nihilominus labore, teipsum exercens ad pietatem per extensionem manuum seu oculorum ad crucifixum sublevationem vel pectoris

(1) Num. 20, 11.

tunsionem aut genuflexiones devotas, vel cetera similia pietatis officia, continuando, donec egrediantur aquae lacrimarum largissimae, ut et ratio bibat devotionis aquas, et corpus animale eius ex praesentia accensum, ad gratiam habilitetur. Quodsi forsan causaris te affectum hunc delectabilem et dulciorem super mel et favum rarius experiri, nimirum quia forsitan tentationibus interim exercitaris: multo virilius agis, si virtutem ipsam non pro delectatione, quam experiaris, sed pro virtutibus ipsis et solo beneplacito Dei tota intentione, etsi non affectione, sectaris.

Affectus enim beatitudinis est, exercitium vero virtutis. Porro passionis meae frequentem meditationem, inter alia innumera, ad duo praecipue tibi noveris prodesse solatia, videlicet ad tristitiam inordinatam repellendam et poenam purgatorii diminuendam. Qualiter autem dolor meus dolorem animi expellat, exemplo potius quam verbo tibi demonstrabo.

Erat namque quidam discipulus sapientiae, cuius nomen sit in libro vitae, quem circa conversionis suae initia quaedam tristitia inordinata tam letaliter oppressit, ut nec legere vel orare vel quidquam boni pro tunc facere posset. Qui, dum die quadam in cella residens ab hac passione graviter urgeretur et incredibili dolore affligeretur, facta est ad eum desuper quasi vox intellectualis dicens: Quid hic sedes otiosus, et in teipso tabescens? Surge nunc et meam passionem devote pertracta, et in mea amaritudine tuum devinces dolorem. Quo audito frater ille surrexit, et se ad meditandam passionem contulit; et ex tunc medicina hac salutari sanatus, per eius continuam replicationem nequaquam plus de cetero talem unquam sensit animi passionem.

Qualiter autem haec utilissima meditatio poenam purgatorii relaxare habeat, tibi indicabo. En auctor

naturae nil inordinatum in sua natura relinquit. Sed nec divina iustitia quidquam mali impunitum dimittit, quod non aut hic aut in futuro debite subiciat correctioni. Quando igitur, putas, finem habitura esset poena alicuius peccatoris, qui multis criminibus obnoxius condignam satisfactionem pro quolibet mortali pro millesima parte non explevisset, quam exsolvere in locis purgatorii gehennalibus decedens cogeretur, usque ad minimum quadrantem? O nimis longa miserae animae exspectatio! O diutina et acerba nimium cruciatio! Dolor perseverans et immensus, poenitentia gravior omni terrestri cruciatu! Sed vide, quod hanc poenam levissima et brevissima satisfactione compensare posset, quicunque ipsam de thesauro passionis agni immaculati sciret recipere. Hic namque thesaurus pretiosissimus propter caritatem maximam personamque dignissimam ac dolorem immensissimum sufficiens et superabundans exstat; et ideo taliter posset se homo ad hunc applicare, et de eius merito et satisfactione tam devote ad se trahere, ut, si mille annis deberet purgari, in brevi de toto liberaretur.

DISCIPULUS: Peto, mi Domine, ut me miserum peccatorem summe indigentem hanc doceas artem utilissimam, propter bonitatem tuam; quia, heu, propria non sufficiunt merita, ut necessarium valde sit mihi respicere ad aliena.

SAPIENTIA: Si vis poenam purgatorii longam et acerbam in temporalem, quae levis et brevis est, commutare, haec facere studeas.

Primo omnium debes corde compuncto et spiritu contribulato, cum gemitu cordis, enormitatem peccatorum tuorum gravissime ponderare, confitendo adversum te iniustitiam tuam Domino, amarissime recogitando, quid feceris, quem offenderis, quidve

merueris. Peccavi, inquiens, Domine, peccavi super numerum arenae maris. Deinde debes teipsum coram oculis aeterni iudicis humiliter despicere et vilem aestimare, ita ut cum publicano oculos immundos nec audeas ad caelum levare, nec labiis pollutis nomen illud gloriosum nominare, sed neque teipsum hominem sed vermen immundum aestimare, et opera tua satisfactoria quasi nullius momenti sint annihilare, et sic miser et miserabilis ante fores gratiam iudicis exspectare, et dicere cum gemitu profundo cordis tui: *Pater mi, peccavi in caelum et coram te, et non sum dignus vocari filius tuus; fac mihi sicut uni ex mercenariis tuis* (1).

Postea meritum passionis meae debes summo cum affectu extollere et magnificare, cogitando, quoniam apud me copiosissima est redemptio, et quod minima gutta pretiosissimi sanguinis, qui per omnes partes corporis mei vulneribus repleti largiter effluxit, pro redemptione et satisfactione totius mundi suffecisset; sed copiose ipsum effundere volui in argumentum magni amoris et supereffluentissimae pietatis, in solamen omnium miserorum.

Tandem debes humili quidem, sed fervido affectu manum auxiliatoris quaerere, et misericordissimi Redemptoris meritum infinitum in subsidium postulare, nihil haesitans, quia pronior est fons ille pietatis, misericordiam iugiter scaturiens, ad miserendum, quam tu ad petendum.

DISCIPULUS: O verbum gratiosum et praecipuum mihi meisque similibus miseris peccatoribus summa cum exsultatione suscipiendum, eo quod in tua passione sic in promptu invenimus, unde peccata possumus abluere, poenas delere, gratiam invenire,

---

(1) Luc. 15, 18-19.

et gloriam promereri sempiternam. O quis mihi det vel minimam guttam ad instar puncti modicam huius tam pretiosissimi liquoris, rubicundi sanguinis agni immaculati, in lavacrum vulnerum meorum! Age nunc tota virtus mea, si quomodo possim hoc salutare medicamentum in remedium obtinere peccatorum meorum! O gutta rorida de minima pedica Domini mei egressa, o stillicidium roseum de aula regali, foramine scilicet pectorali effluxum, vel saltem de minima punctura corporis delicati egressum, sana et reintegra peccatorum meorum vulnera! O crux ave, spes unica, sanguine delicato perfusa, auge piis iustitiam reisque dona veniam! O misericordissima sapientia his te verbis consolatoriis ore mellifluo prosequente, quaestio non modica animum meum pulsat; quam ut solvas affectus pius devote expostulat. Dixisti enim, quod per tuam passionem satisfactio sufficiens et superabundans humano generi collata est. Quodsi ita est, quare igitur poena satisfactoria iniungitur, et secundum qualitatem culpae exigitur qualitas poenae?

SAPIENTIA: Ad hoc, quod homo consequatur effectum passionis huius, oportet ipsum ei configurari. Configuratur autem ei per baptismum. Unde illi ex toto liberantur, qui sic decedunt. Sed oportet, quod illi, qui post baptismum peccant, configurentur Christo patienti per aliquid poenalitatis vel passionis, quam in seipsis sustineant: quae tamen multo minor sufficit, quam esset condigna peccato, cooperante satisfactione praedicta (1).

---

(1) S. Thomas III, qu. 49, a. 4: Ad hoc, quod consequamur effectum passionis Christi, oportet nos ei configurari... Unde oportet quod illi, qui post baptismum peccant, configurentur Christo patienti per aliquid poenalitatis vel passionis, quam in seipsis sustineant; quae tamen multo minor sufficit, quam esset condigna peccato cooperante satisfactione Christi.

DISCIPULUS: Redeamus ergo ad hanc materiam utilitate praecipuam, de qua tantam digressionem fecimus, occasionem tantorum mysteriorum eius ex ubertate sumentes.

Capitulum Quintum Decimum.

Quomodo verus Christi discipulus debet se configurare passionibus ipsius.

Igitur, cum me filii tenebrarum crucis patibulo affixissent, non suffecit eis horrendum supplicium mihi illatum, sed crudelius saevientes coram dolente et moriente stabant, et me deridebant, et blasphemando subsannabant, moventes capita sua, et opprobriis impiissime miserum affligebant. Ego autem his non motus, sed patienter sustinens aiebam: Pater, ignosce eis, quia nesciunt, quid faciunt. Inter duos latrones tamquam supplicii reum, me Dei filium suspenderunt; et unus quidem ex his me deridebat, alius autem patrocinium meum implorabat, quem continuo ad gratiam recepi, et peccatorum veniam tribuendo, paradisum ei caelestem promisi. Circumspexi, et non erat auxiliator. Omnes me dereliquerant; noti quoque mei quasi alieni recesserant a me. Stabant quidam ex his a longe, et, quae circa me fiebant, considerabant. Fratres quoque mei in angustiis mortis dispersi, a me diffugiebant. Vestimenta mihi tortores extrahentes, nudum reliquerunt. Summa Dei virtus et potentia Christus Dominus tunc miserabiliter stetit, quasi omni virtute privatus. Nam absque misericordia me cruciatibus acerrimis vexaverunt.

Ego autem tamquam agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, obmutui, et non aperui os meum.

Angustiae mihi undique erant; miseriae me ubique premebant, et quocunque me vertebam, dolorem inveniebam. Stabat tunc iuxta crucem Filii pendentis Mater moestissima, cuncta vulnerum meorum in pectore suo dolorifera maternis visceribus perferens tormenta, ac sustinens vulnera. Audiens igitur vocem eius flebilem et luctum miserabilem, doloremque eius sciens vehementem, compassione motus pie ipsam consolabar; et dilectam matrem discipulo dilecto recommendans, discipulum pro me in filium ei delegavi. Qualiter tunc gladius doloris viscera penetraverit dulcissimae matris, qualiter etiam moeroris gladius interiora omnia filii pendentis repleverit, nullus perfecte aestimare potest.

DISCIPULUS: O dolor saevissimus, et compassione praecipua dignissimus! O saevitia ac duritia immensa tam enormiter te torquentium! Qualiter, o cruentae bestiae, leonibus ferociores, lupis rapacibus saeviores, agnum illum mansuetissimum, *speciosumque forma prae filiis hominum* (1), nobilem et delicatum, pium ac mansuetum sic crudeliter torquere potuistis? O Deus meus, utinam fuisset tunc famulus tuus praesens, dum haec agebantur, ut pietas et compassio, quae eis defuit, per me suppleta fuisset. Profecto, si possibile fuisset, salva humani generis redemptione, ego animam meam pro vita tua exposuissem, vel cum dilecto pariter occubuissem. Vel certe, si hoc fuisset negatum, saltem prae dolore prostratus pedem crucis, in qua dilectus moriebatur, brachiis affectuosissimae compassionis strinxissem, et sic flens et eiulans perdurassem quousque forsitan cum terra tremuit et petrae scindebantur, cor quoque amantis pariter scissum fuisset. O quam feliciter

(1) Psal. 44, 2.

migrassem, si moriente dilecto ego quoque secum pariter mortuus fuissem! An non meministi, quid fecerit armiger Saulis, qui in monte Gelboë dominum suum inimicis vallatum, improbe occubuisse videns, fidelitatem ei et societatem facere cupiens, super gladium suum stulte irruit et pariter mortuus est cum eo (1)? O si servus videns dominum suum infeliciter mori commoriebatur: dilectus videns dilectum pro dilecto fideliter mori, non commoreretur? Qualiter etiam vivere posset, et non potius eligeret fortiter mori, quam infeliciter vivere? *Propterea utique elegisset suspendium anima mea, et mortem ossa mea* (2).

SAPIENTIA: Hanc horam moriendi ab aeterno mihi praeelegi, ut solus tunc calicem meae biberem passionis, et mortem pro omnibus sustinerem. Nunc autem tempus adest, ut omnis, qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Et sciat pro certo hanc imitationem devotam tam acceptabilem mihi fore, quantum fuisset pro tunc, si mecum perstitisset, et mortuus pariter cum moriente fuisset. Et ecce haec erit crux tua, quam portare debes, si vis meus esse amator. Quandocunque exercitio virtutum et divinorum expletioni mandatorum studiose intentus es pro posse tuo, et tamen ab aemulis ex hoc derisiones seu detractiones recipis, insuper et in oculis eorum in tantum vilescis et despicabilis appares, ut hoc non virtuti patientiae ascribant, nec gratiae, quae est in te, sed impotentiae et ignaviae, et quod te vindicare volens non audeas vel scias; tu autem hoc non solum patienter et libenter pro Deo sufferas, verum etiam ex superabundanti Patrem, qui in caelis est, seriosius pro eis exorare studueris, et eos devote apud

---

(1) 1 Reg. 31. (2) Iob 7, 15.

me excusaveris, ipsos mihi recommendando: Quicunque in hac contrarietate laesiva ad gloriam et imitationem crucifixi seipsum superaverit, scire debet quotiescunque hoc fecerit, quod mortem Domini quasi recenter reviviscere facit, et imaginem crucifixi in se portabit.

Item si bona opera faciens, et innocenter ac simpliciter in via Domini ambulans, opera tua bona ab invidis persecutoribus conculcarentur, insuper de te non bona, sed mala ubique loquerentur, falsaque tibi multa imponentes, vitam tuam in oculis te honore dignum habentium depravare non desisterent; tu autem ex his non motus, sed magis exhilaratus, in tanta maneres persequentium te cordis pietate, ut paratus esses omni hora sincero affectu et pio corde cunctas offensas remittere, ut sic penitus in te deletae essent, ac si nunquam factae fuissent; ipsis quoque praeberes consilium et auxilium opportunum, eius ob amorem, qui suis crucifixoribus etiam non petentibus, non solum offensas remisit, sed et eis prodesse studuit, pro eis apud Patrem intercedendo: Quandocunque teipsum in hoc facto propter Deum superares, certissime ac veraciter iuxta dilectum tuum crucifixum pariter crucifixus stares.

Mundana solatia fugiendo et utilitates ac consolationes terrenas propter me relinquendo nisi quantum necessitas hoc requirit, desertionem meam, qua ab omnibus derelictus fui, per hanc recompensas voluntariam abstractionem. Quotiescunque tuos caros amicos vel consanguineos propter amorem Salvatoris reliqueris, discipulum et dilectum fratrem iuxta crucem mihi compatientem substituis. Exspoliatio tuae propriae voluntatis, vestimenta sunt nuditatis meae. Cumque his, qui te impugnant seu criminantur et adversa inferunt, voluntarie cesseris, et eorum, qui te verbis importune invadunt, iram et impa-

tientiam tam mansuete et cum tanta cordis dulcedine et verborum suavitate ac vultus hilaritate receperis, ut tua dulcis benignitas merito adversariis verecundiam inferre possit, et eorum debeat tumor tua ex humilitate confringi: tunc mortis meae imago et similitudo in te veraciter relucebit. Item exemplo matris meae fidelissimae et discipuli dilecti semper tibi memoria passionis adsit, in corde per memoriam, in oratione per ruminationem devotam et in operatione per imitationem affectuosam.

Quicunque haec fecerit, verus Iesu Christi imitator exsistit, et delicias ei copiosas apud se ministrabit. Signum ergo tuae dilectionis sit exhibitio operis. Heri exhortabaris te velle mori pro me corporaliter. Nunc venit hora tua. Accurre, festina et recipe mortem pro me spiritualiter. O quantum de tali filio, qui crucem hanc receperit, Pater Caelestis gloriabitur! O quantum de tali fidelissimo discipulo Magister magistrorum iucundabitur! Dilectum quoque pro dilecto morientem eiusque passioni respondentem, ut videlicet hoc in se sentiat, quod et in Christo Iesu: cum quanta gloria putas sublimabitur in caelis, et quanto honore dignus habebitur? Socius namque magnae tribulationis erit et socius immensae consolationis.

DISCIPULUS: *Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos* (1). Quamobrem oculos ac manus ad te sursum elevo, piissime Redemptor, devote supplicando, quatenus venerandae passionis tuae imago et similitudo mihi famulo tuo efficaciter imprimatur, et suum in me effectum salubrem iugiter operetur, ad laudem et gloriam nominis tui benedicti. Ceterum,

---

(1) Ier. 10, 23.

ut vides, anima mea tota in excessu mentis posita, adhuc stat suspensa, tibi patienti intendens, et audire cupiens finem tam miserandae passionis. Scire insuper cupiens, utrum caro passa ex Divinitatis influxu aliquam tunc senserit alleviationem tanti doloris.

SAPIENTIA: Nota valde de hac interrogatione, quod merito ex intimis te movere debeat ad compassionem. In illa hora, cum mortis supplicium pertuli horrendum, anima verbo perfecte fruebatur; et tamen Divinitas permisit carni agere et pati, quae propria; et quia vires inferiores sibi ipsis relinquebantur, passibiles valde reddebantur.

Attende nunc gloriam totius orbis in cruce suspensum, et miseriis ultra modum angustiatum. Pendebam in patibulo crucis ligno immobiliter confixus, desolatus et omni adiutorio humano privatus. Sed et Pater meus caelestis me quodammodo reliquisse videbatur, cum non iuvabat, quem iuvare poterat, magnalia opera ostendendo. Vulnera cruenta sanguinem fundebant, oculi mei a fletu caligabant, et omnia viscera mea prae nimio cruciatu contabescebant. Rugiebam a gemitu cordis mei, et non erat, qui respiceret; flebam amare, et non erat, qui lacrimas abstergeret; dolores et livores me oppresserant, et non erat, qui foveret. Orantem maledicebant, tacentem deridebant, patienter sustinentem blasphemabant. Et cum me sic undique dolores mortis circumdedissent, clamavi ad Patrem dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et tamen voluntas pendentis Filii semper fuit conformis paternae voluntati. Sitivi, et non erat, qui calicem aquae frigidae animae sitienti porrigeret, sed aceto mixto cum felle sitim meam potabant. Attamen licet anima mea prae sitis angustia multum affligeretur, magis

tamen fervide salutem humanam sitiebat. Et cum omnia, quae scripta erant de me, consummarentur, factus oboediens usque ad mortem, inclinato capite tradidi spiritum. Nec suffecit eis viventem me doloribus affligere, sed et mortuum poenis afficere tentabant. Nam latus meum mucrone dirae lanceae perforabant, ex quo sanguis et aqua exibant, quae corpus mortuum perfundebant. Sicque vita mundi pro mundo exstincta fuit, et sanguine suo pretioso genus humanum redemit, atque veterum piacula peccatorum pio cruore detersit.

DISCIPULUS: O vere magna et inaestimabilis dilectio caritatis! O maximus et immensus dolor tuae sanctissimae passionis, qua nos miseros orbis conditor redemisti! Utinam nunc dignas laudes tibi exsolvere possem! Utinam omnium hominum, qui sunt super terram vel futuri sunt vel praeterierunt, praerogativis florerem, ut eas in tuo famulatu expenderem! O quis mihi det sapientiam Salomonis, fortitudinem Samsonis, Absalonis pulchritudinem omniumque principum huius mundi divitias et gloriam atque virtutem, quatenus haec omnia et multo maiora his libere offerrem in obsequium mei Salvatoris, in odorem suavitatis? Sed heu, quid potest facere canis mortuus (1), aut quam gratiam praestare potest surdus et mutus?

SAPIENTIA: *Si linguis hominum loquereris et angelorum* (2), si cunctorum hominum bonis operibus praeditus esses, si omnium sacrarum virginum puritate claresceres, si confessorum atque doctorum praecursor, martyrumque vexillifer exsisteres, sique omnium creaturarum virtutem haberes: rependere vicem tanto Redemptori ex condigno non posses,

(1) 2 Reg. 9, 8. (2) 1 Cor. 13, 1.

nec pro minima quidem sanguinis gutta ex amore pro te effusa.

DISCIPULUS: *Quid* igitur *retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi* (1)? O mi Deus, doce, quaeso, famulum tuum, qualiter saltem ex gratia placere possit, qui ex infirmitate ac parvitate operum suorum deficit.

SAPIENTIA: Memoriam passionis meae semper debes in corde tuo habere, et omnes tribulationes et adversitates, quas pateris, ad ipsam referre, ipsiusque similitudinem, quantum possibile est, induere debes. Item cum ex occulta dispensatione tibi consolationem internam subtraho, et te desolatum relinquo, debes ad instar veri crucifixi non aliunde consolationem quaerere, sed patienter exspectare et sursum ad Patrem, qui in caelis est, respectum habere, teipsum deserendo et omnem cogitatum tuum in ipsum iactando. Tunc absque dubio, quanto fuerit maior hominis exterioris pressura et desertio hominis interioris cum voluntate Deo unita: tanto similior eris crucifixo et acceptior Patri peramando; quia revera hoc est punctum adversitatis, per quod milites probatissimi in acie Christi constituti strictissime examinantur. Post concupiscentias tuas non abeas, sed eas viriliter frangas: tunc felle amaritudinis cum dilecto tuo potaberis. Omnium hominum salutem sitias. Superioribus tuis oboedientiam devotam exhibeas. Omnia opera tua ad virtutum perfectionem et debitam perducere contendas consummationem. Item omnia infortunia et cuncta tristabilia clementiae Dei debes committere, et sic te libere in omni facto tenere, quasi homo, qui in procinctu migraturus est de hoc mundo. Refugium quoque continuum in vulnere

(1) Psal. 115, 12.

lateris mei debes quaerere tamquam columba in foraminibus petrae (1); quia in hoc loco semper invenies copiosissimam peccatorum remissionem, gratiarum plenitudinem, et a cunctis malis imminentibus securam protectionem.

DISCIPULUS: Unam adhuc petitiunculam de hac materia dulcissimae passionis tuae porrigo, de hoc videlicet, quod tam breviter tangens pertransisti: qualiter scilicet se habuerit mater illa veneranda Genitrix tua fidelissima, quando iuxta crucem stetit et Filium suum dilectum coram oculis suis suspensum conspexit.

SAPIENTIA: De hoc licentiatus ipsam adeas, et eius ab ore hoc, quod vis, diligentius inquiras!

Capitulum Sextum Decimum.

Commendatio singularis beatae Virginis, et de dolore eius inaestimabili, quem habuit in passione Filii.

Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius. Tempore vernali cum ad alta caeli sol incipit ascendere, et terris infundere radiorum suorum foecundam luminositatem: Ecce vegetabilia cuncta hiemali glacie constricta incipiunt revirescere. Animantia quoque et volatilia in antris et specubus ac diversis quibusque latibulis abscondita, ad tantae lucis novitatem respirare incipiunt ac vires resumere, et cordis laetitiam ostendere cantibus vel plausibus laetabundis. Hominum quoque genus, senes cum iunioribus eius in adventu exhilarantur, et tota superficies terrae de-

(1) Exod. 33, 22.

core induitur, et applaudit ac congratulatur. Eia corda universa Deum pura mente amantia, perpendite nunc, quoniam similiter nobis accidit, cum sole amicta Virgo foecunda, caeli regina praeelecta ut sol fines cordis nostri ingreditur, et memoria eius mentibus nostris rutilantius infunditur, absque nube. Continuo namque duritia omnis ad tantae lucis immensitatem resolvitur. Arida cuncta rore caelestis gratiae irrigantur. Fugantur tenebrae; lumen novum exoritur, et gaudiorum nobis materia immensa cumulatur. Tibi ergo, o spes nostra, gaudium et laetitia cordis nostri, peccatores miseri in vocem salutationis prorumpimus, teque ex intimo cordis cum gemitu et lacrimis et devota cordis genuflexione affectuosissime matrem gratiae salutamus. Gaudent pueri ad sonitum organi, et ad laetos rumores corda exhilarantur universa. Sic ad tuam quoque suavissimam memoriam totus aestuo divini amoris incendio, te laudare cupiens, quam laudat orbis terrae et plenitudo eius, caeli caelorum et omnis virtus eorum.

Omnis quippe creaturae bonitas ad tuam comparata dignitatem sic est, quasi noctilucae splendor exiguus ad solis claritatem immensam. Te namque divina sapientia tam excellenter sua gratia decoravit et bonitate tam multipliciter investivit, ut sua incomprehensibilis in te relucens sapientia, desiderabilior nobis ex tua refulgentia reddatur. Cum mente pertracto viros illustres, qui te laudaverunt ab initio, prae stupore deficio, et ultra spiritum non habeo. Sed cum ad meipsum redeo, haec intra me revolvo dicens: O salve pia Virgo, decus virginum; quidquid unquam de tuo praeconio lingua dicere potuit, calamus scribere valuit, cor potuit cogitare, omnibus illis simul collectis et conscriptis et in unum manipulum violarum congestis, centuplicata et infinities multiplicata, corde devoto, aureo cum decore, mel-

lifluo sapore, et odore aromatico tibi porrigo, ad laudandum et glorificandum te, Virgo beata, nunc et in aeternum. Cum te intueor, caelum sidereo micans splendore mihi videor intueri, paradisum voluptatis me puto inhabitare, immemor mei ex magnitudine tui, stupens ex immensitate gloriae tuae, et proclamans cum virtute: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam laetabundo corde exsultasti, cum hanc nobilem creaturam tam perfecti decoris huic mundo in gaudium condidisti! O oculi virginales nimio fulgore micantes, o genae rubentes, o crines aureo splendore nitentes! Felicissima labia tua, crebris osculis Filii deificata! Et licet totum, quod in te est, circino divinae sapientiae prudentissime sit formatum et decentissime perornatum, singulariter tamen miseris ubera tua, quae lactaverunt regem Dominum, dulcius nobis sapiunt, quoniam ex eis vita procedit, et dulcedo emanat, quae cunctos languidos sanat.

Felix proinde mulier illa, quae tam veram quam iucundam de hac re protulit sententiam, in turba exclamans et dicens ad Salvatorem: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti* (1). O beata ubera, quae lactaverunt Christum Dominum! Vestra namque ab ubertate atque uberrima foecunditate caeligenae laetantur atque terrigenae, ac dulcibus vestris recreantur ex fructibus. Haec *velut hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae* (2). En conditor orbis corpora caelestia ornavit sideribus, corpora elementaria animantibus ac volatilibus, nemora foliis virentibus, prata floribus ridentibus. Sed super haec omnia, Virgo beata, corpus tuum sanctissimis decoravit uberibus. Haec sunt duae olivae speciosae et uberrimae, liquorem gratiae, lactis ac mellis, superis

(1) Luc. 11, 27. (2) Cant. 4, 5-6.

ac inferis propinantes: Pomella nivei candoris, quae a Spiritu Sancto foecundata, et in ligno, quod est in medio paradisi, collocata, fructum immortalitatis conferunt degustata. Haec sunt mala granata aurea, sphaerulae ac lilia templum adornantia veri Salomonis: Mandragorae odoriferae in horto deliciarum plantatae: Botri vinearum Engaddi, cordibus miserorum laetitiam conferentes, et tristitiam depellentes. Meliora quippe sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. In vino namque est luxuria et delectatio terrena. In his autem phialis aureis concupiscentiae noxiae plenissima exstinctio, et caelestis quaedam et supernaturalis delectatio. Novit, qui gustavit, quam citissime et perfectissime omnis voluptas carnalis evanuit, cum de lacte gratiarum tuarum gustatum fuit. Ad fragrantiam quippe unguentorum supernorum virulenti serpentes territi fugabantur, et sustinere non poterant praesentiam tantae puritatis. Impleta tunc gaudebant viscera, munere insolito satiata. Lingua quidem obmutuit, spiritus vero in Domino exsultavit. Oculi flebant et dulces lacrimas deducebant. Os autem hunc suavissimum saporem et divinissimum liquorem diutius tenere et frequentius ruminare pio conamine contendebat. Clamabantque omnia interiora pariter dicentia: Quoniam meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Qui intelligit, intelligat!

O mater veneranda, salva geniturae tuae videlicet aeternae Sapientiae bonitate immensa, cum hoc totum, quod habes, ab eo sit, a quo omne bonum procedit, nihilominus tamen aliquid est, quod dulcius ac suavius invenire sibi videtur anima misera, cum ad ubera tua confugit dulcedine et gratia plena, quam cum ad vinum spirituale accedit, quod propinat aeterna Sapientia. Ibi namque perfecta sentitur suavitas; his autem mixta quaedam acerbitas perci-

pitur. Siquidem illa aeterna Sapientia baculo consolationis virgam subiungit districtae correctionis. En mater beata advertere potuisti, quoties me suavitate verborum suorum quasi lactea quadam linivit dulcedine, et rursus dominatione sua quasi austeritatem vini superinfundendo mihi timorem incussit. Hinc verba consolationis, illinc verbera exhibens districtae correctionis. Et cum ipsum iam habere velut sponsum carissimum gauderem, subito Divinitatis eius recordatione stupefactus, ut iudicem meum deprecabar. Et cum interdum lac peterem, repulit, et quasi ablactando super matre sua (1) acetosam exhibuit austeritatem. Tu autem quid? Vere a planta pedis usque ad verticem non est in te quidquam amaritudinis vel austeritatis, sed totum, quod in te est, purissima est dulcedo, incomparabilem habens suavitatem, omnium aromatum et unguentorum superans fragrantiam et pretiositatem. Tota formosa et suavis es, nil habens duritiae vel severitatis. Facie benigna, vultu serena, verbis mellita, suavis, et decora, bonitate foecunda, gratia plena. In te namque *omnis gratia viae et veritatis, in te omnis spes vitae et virtutis* (2). Vinum cum lacte sugitur a Sapientia aeterna, sed favus cum melle a te suscipitur, dulcedo purissima. Quae sunt autem haec ubera tua dulcissima? Prorsus haec sunt, scilicet quod omnes peccatores sinu recipis benignissimo, et receptos tuo fideliter reconcilias Filio.

O thesaurus pretiosus miserorum! En cum summum regem peccando perdidimus, cum offendimus angelos, cum etiam nobismetipsis graves sumus, et omnino nescimus, quid agere debeamus: hoc solum restat miseris, ut oculos cordis et corporis ad te levemus, consilium quaerentes, petentes auxilium. O

(1) Psal. 130, 2. (2) Eccli. 24, 25.

exsultatio cordis mei, unica spes et gaudium vitae meae, tu scis, quoties amaro animo, corde turbato, facie lacrimosa, cum Deum offenderam et me filium gehennae futurum aestimabam, cum inimicis undique vallatus fueram: oculos ad te, piissima Virgo, levavi, et tuo adiutorio, Virgo beata, evasi pericula cuncta. Gaudeant alii de sua innocentia, alii laetentur de meritorum suorum copia, alii de Dei misericordia immediate exsultent: Tu mater mea, tu spes et solatium unicum vitae meae! Cum totus de Deo et de meipso despero: in te cogitando, te commemorando, quasi de profundissimis tenebris reviviscit spiritus meus. Tu es gloriatio mea, salus, honor et vita mea. Sed unde mihi hoc, o spes mea? Nimirum quia multos habes dilectos filios, quos salvare poterit sua innocentia, quibus propria suppetunt bona opera, qui dicere possunt cum viro iusto: *Neque unquam reprehendit me cor meum in omni vita mea* (1).

O moeror et luctus cordis mei immensus! Mater dulcissima, mater nostra, mater, inquam, nostra singulariter, qui miseri peccatores sumus: Tu scis, quod tota vita mea est reprehensio pura. En respice super infirmum tuum! Non sum dignus vocari filius tuus. Fac mihi sicut uni ex miseris aegrotis tuis! Recordare, pia mater, quod matres suos fovere solent sollicitius aegrotos, eisque compati magis et diligentiorem adhibere curam. *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris* adiutrix (2). Tibi nota sunt vulnera mea, mater pia. Infirmos tu visita, mortuos resuscita, et da moestis solatia! Accedant ad sapientiae lumen, qui iuste et sancte vixerunt! Heu me! Ego autem miser peccator, lacrimis totus perfusus, sub tuam protectionem confugio, non audens ad praesentiam tantae lucis nudus et egenus apparere;

---

(1) Iob 27, 6. (2) Psal. 9, 34.

sed ad te matrem confugio. Tu spes mea, turris mea, in qua finem totius salutis meae constitui. Si, quod absit, iudex iratus servum suum peccati reum damnare voluerit, per manus tuas piissimas hoc faciat! Si autem ex gratia salvare decreverit, te mediante salutem mihi mittere dignetur! Ego a te neque vivus neque mortuus, nec in prosperis nec in adversis unquam volo separari. Quinimmo si, quod absit, Dei mei insanus ac reprobus factus oblivisci voluero, vere tui nunquam obliviscar. Te nunquam dimittam. Memoria tua super mel et favum in ore meo indulcoratur. Facies in te exhilaratur, cor iucundatur, et tota virtus mea pariter exsultat.

Nec immerito. Quoties enim ab uberibus consolationis tuae satiatus sim, tu pia nosti, quae misero peccatori remedia salutis talia contulisti. Eia ergo advocata nostra surge pia, surge propitia, converte illos tuos misericordes oculos ad nos, et placa tuum Unigenitum a nobis toties offensum! Tu namque es reorum advocata; ideo accede propius, et pete pro nobis quaesumus. Nihil enim tibi negare poterit Filius gratiosus tibi dilectus. O aeterna Patris Sapientia, ecce nunc in patrocinium meum coram te adduco illam tuam Matrem dulcissimam, tibi eam praesentans, me post tergum suum abscondens, oculos non audens levare ante faciem gloriae tuae, per ipsam cupiens exaudiri. Ipsam, quaeso, honora, ipsam venerare! Qualiter cum convenientia talem matrem poteris repellere? Quodsi etiam millesies in die accesserit, repulsam non habebit. Exaudi, exaudi me, Domine, propter tuam bonitatem et matris tuae dilectae singularem honorem. Nam sicut te caelesti Patri ac genitori tuo advocatum exhibeo, sic tibi dilectam Matrem ut meam exhibeo auxiliatricem, ut imperfectum meum eius suppleat gratae et acceptabilis praesentiae magnitudo.

Nunc igitur, o praeclara Sapientia, attende matrem gloriosam! Respice oculos huius dulcissimae matris coram te pro nobis interpellantis, quibus te materno in gremio gestans tam placide intuebatur: Genas eius roseo colore perfusas, quibus faciem tuam delicatam materno affectu sibi sociavit. Ah, quam felicia labia eius, quibus os tuum benedictum, oculos praefulgidos, ac singulos quosque nobilissimos artus creberrime perosculata fuit, blanda miscens interdum oscula verbis. Cerne manus has, quae tibi ministraverunt, ubera dulcissima ac felicissima, quae te lactaverunt! O piissima dulcedo, ecce fas non est, ut haec inspiciens et rememorans tantae matri a te quidquam negetur, quae te Dominum caeli genuit, lactavit, fovit et ad incrementa usque perduxit. Reminiscere, quaeso, omnium servitiorum et exhibitionum, quae tuis in infantilibus annis ab ea recepisti, cum te in gremio infantem delicatum tenens, ocellos ridentes ad blandientem tibi matrem retorsisti, et brachiis delicatissimis tibi arridentem amplexatus fuisti, eamque prae cunctis tenerrime dilexisti. Omniumque dolorum recordare, quos sub cruce stans in pectore suo materno pertulit, pio compassionis affectu.

Stabat namque iuxta crucem Iesu Mater eius. O verbum totius compassionis! Quamvis enim, o viscera mea, ex intimis movere vos debeant dolores et afflictiones tam pii Salvatoris in cruce pendentis: iure tamen singulari nobis, qui aliquando peccatorum tenebris obvoluti, nunc autem adiutorio genitricis Dei ad lucem reducti sumus, convenit tantae matri iuxta crucem stanti et immensum dolorem patientis Filii in corde suo plenissime sustinenti, specialius quodammodo ac peculiarius compati, ex medullis cordium nostrorum. Per quam enim miseri continue consolamur, iustum valde est, ut ei

quoque patienti compatiamur. Et licet, ut dignum esset, sibi compati non possimus, saltem eius dolorem ad memoriam revocando, devotionem cordis nostri, prout possumus, fideliter excitemus! Magnitudinem luctus piae matris nobis ignotam, ex manifestis nobis doloribus velut a longe coniecturando inquiramus! Interroget igitur se unusquisque amator, si illud amabile, quod intense amat, ignominiosae morti traditum videret, quantum ex hoc dolere contingeret, et quam vehementi compassione moveretur; licet tale quid non amans in se minime perciperet. Haec pius animus revolvat, et ex his credibile nimis erit, quidquid de eius dolore dici poterit, quae prae cunctis mortalibus amavit, et doluit, cum dilectum morte turpissima condemnatum vidit.

O Maria, quid cordis erat tibi, cum iuxta crucem stabas, et Iesum benedictum fructum ventris tui sic suspensum cernebas? Utique ratio hoc dictat, experientia probat, vis amoris approbat, quod multum dolebas. Multum dolebas, quia multum diligebas. Si enim sola memoria passionis Filii tui nonnullos devotos ob magnam compassionem quasi exanimes reddit, quid fecit crudelissimae passionis praesentia in ea, quae ipsum mundi Salvatorem patientem generavit? Si haec memoria tantum fervet in corde peccatoris, o quantum aestuabat in mente sanctissimae matris! Virgo beata, scimus, quanto quis expertus amoris dilectum suum ferventius diligit, et quanto dilecti praesentia honorabilior et delectabilior, ac utilior sibi exsistit, tanto eius privatio maiorem tristitiam adducit. Sed vere et absque omni dubitatione credo, quod dilecti tui grata praesentia in omni gratia cunctorum mortalium praesentiam incomparabiliter excedebat.

Referat ergo nobis mater, si filium in tanta dilectione habuerit, ut ex eo laetari potuerit vel etiam

tristari. Procedat nunc in medium, et taliter nobis respondeat, viva voce, corpore quidem absens, spiritu vero praesens, et dicat: Qui me humilem ancillam ex gratia dignatus est in matrem eligere, ipse cor meum ardentissimo amore sibi constrinxerat, ut nusquam nisi de ipso et in ipso spiritus meus summam laetitiam et tristitiam posset recipere. Nam in ipso cuncta possederam, eiusque dilectio erat mihi totius orbis plena possessio. Anima mea ibi erat, ubi Iesus erat, magisque in eo, quam in meipsa vivebam. Speciosum forma prae filiis hominum inspicere, erat cordis mei iucunditas; Divinitatem eius contemplari, dulcis suavitas. Cogitare de eo, mihi praestabat gaudium; de eo loqui, dulcissimum fuit solatium. Verba ex eius ore audire, suavissimum mihi erat organum. Ipse cordis erat speculum, oculorum meorum spectaculum. Caelestia simul et terrestria quaeque bona, sua mihi praesentia optata praebebat.

Hunc igitur Filium unigenitum, cordis mei thesaurum pretiosum, cum oculis elevatis vidissem sic contemptibiliter in cruce cum latronibus suspensum, et doloribus mortis angustiatum: Ah, quam intolerabilis mihi hic aspectus erat, o quam lamentabilis et poenosa haec mihi visio fuit! Anima mea prae dolore cruciabatur, viscera materna sauciabantur, et commoriebantur omnia ossa mea. Virtus omnis evanuit, sensus a me recessit, et calamitas me oppressit immensa. Oculos lacrimosos sursum levavi, dilectum meum suspensum vidi, nec sibi in aliquo solatium ferre potui. Respexi deorsum, et cum dolore immenso vidi eos, qui meum thesaurum rapuerant et tam crudeliter vexantes torquebant. O quantum anima mea in me angustiabatur, quam magno cruciabatur dolore! Corde privata eram, quia ipse mihi cor abstulerat et simul secum crucifixum tenebat. Vocem prae clamore et eiulatu multo ami-

seram, quod vix loqui poteram. Defeci prae dolore, corrui prae moerore. Resumpto autem utcunque spiritu, in haec et similia verba prorumpebam: O gaudium et exsultatio spiritus mei, lumen oculorum meorum, quondam te vidi cordis mei cum laetitia et exsultatione, nunc autem cum immensa tristitia et moerore. Heu, heu, quam miserabiliter te nunc pendentem intueor! O dimidium animae meae, o consolatio unica vitae meae! Tolle, quaeso, tecum matrem moestissimam, quia mori valde cupio; vivere sine te amplius non potero. Non me, fili dulcissime, derelinquas, sed me tecum pariter accipias! O quis mihi det, ut ego moriar pro te! O dolores incomparabiles matris orbatae, destitutio genitricis desolatae! Mori etenim video, in quo vita mea et tota salus mea consistit.

Cumque haec et his similia verba tristia mater moestissima prosequitur, filius doloris sui ipsius quodammodo oblitus, matrem dulcissime consolabatur. Moriens et recedens me licentiavit, et discipulo, quem singulariter diligebat, recommendavit. Cumque vocem filii loquentis cor maternum percepit, dolore vehementissimo aestuare coepit, et gladius moeroris pertransivit animam fidelissimae matris. Levavi manus sursum prae cordis desiderio, tangere cupiens dilectum meum, ut vel sic dolori et amori melius consulere potuissem. Cumque aliud solatium non haberem, sanguinem fumantem et ex vulneribus filii ad terram usque stillantem nimia cum aviditate deosculabar, in tantum, ut facies matris de cruore filii occisi sanguinolenta redderetur.

O si vidisses in hora illa lamentabili miseriam matris filio compatientis, dolorem filii matri condolentis, matrem pro filio morituro moerentem, filium matrem desolatam dulciter consolantem: sine interno compassionis vulnere haec audire et videre non potuisses.

Tandem igitur post exspirationem filii, cum de cruce deponeretur, o quam affectuosissime brachia eius dependentia suscipiebam, et mortuum filium gremio materno colligebam! Affectu materno ipsum amplexabar. Rigabam lacrimis faciem mortui, et recentia vulnera frequentibus osculis leniebam. Res miseranda! Vitam cordis mei intuebar, et ecce mortuus erat! Respexi iterum atque iterum, *et non erat vox neque sensus* (1). Loquebar ei, et non respondit mihi. *Rugiebam a gemitu cordis mei* (2). Astabant namque, qui mihi mortuum meum, thesaurum meum, auferre et sepelire volebant. Tunc flebam et gemebam, et voces lamentabiles dabam. Cor prae dolore concutiebatur, cum dilectum filium brachiis maternis constrictum avellere conabantur. Faciem meam lacrimosam ipsius vultui applicabam; faciem suam saepius inter manus accipiens, crebrius inspiciebam, et gemebam, quoniam amaritudine repleta eram. Nec erat, qui haec intueretur, et matri patienti non compateretur. Demum post sepulturam filii, cum magno valde dolore reducta fui. Sed in eius resurrectione, cum ipsum tam gloriosum vidi, plenam consolationem recepi; et sic materia dolorum in materiam transiit spiritualium gaudiorum. Hucusque Virginis verba.

Porro nos qui haec non sine gemitu et fletu audire potuimus, interrumpere sermonem tuum, virgo mater, cogit compassionis nostrae vehementia et exuberantia tantarum lacrimarum, quibus tibi, o virgo pia, compatimur ex intimis visceribus cordium nostrorum. O quam induratum est cor, quod tibi ex intimis non compatitur; quam male exsiccati oculi, qui te sic flentem videntes, nequaquam queunt lacrimari; quam frigidum pectus, quod ex his non

(1) 4 Reg. 4, 31. (2) Psal. 37, 9.

gemit! O utinam commoriantur tecum simul etiam omnia ossa nostra! Benedicta brachia tua, inter quae iam dilectum reclinatum video. Genae quoque rosiferae matris felices, sanguineo colore vernantes. Pectus tuum maternum superbenedictum, tanti doloris contentivum, super quo iam oculis cordis video regem meum reclinatum. O reclinatorium aureum, prae cunctis thronis eburneis sedibusque deauratis praeelectum, ad hanc horam servatum, ut auctorem vitae supportet vita privatum.

Sed quid dicam? En coram te, mater piissima, mente lacrimosa iam positus, te obsecro et adiuro in Domino, ut mihi tuum carissimum thesaurum, regem et Dominum meum, pro me passum et mortuum, sub hac forma, qua ipsum iam in gremio tuo sub crucis ligno pallidum et livore plenum meditationis oculo intueor, praebeas, ut hoc ipsum, quod est compassionis et doloris, quod tibi corporaliter et praesentialiter tunc concessum fuit tamquam matri, mihi saltem spiritualiter et memorialiter, prout competit misero peccatori, concedatur. Da mihi Salvatorem meum! Praebe, quem diligo, quia exspectare amplius non valeo. Suscipe nunc, anima mea, dilectum de dilecta, et dilectionis atque compassionis affectuosissima ei praebe indicia! O dilecte mi, salutare meum et liberator meus, amor meus, et gloriatio animae meae! Ecce nunc affectu fervidissimo, totus ab omnibus abstractus, omnibus viribus animae meae simul in unum collectis, ad te convertor, te attente intueor cum omni nisu et conamine, quantum unquam possibile fuit dilectum a dilecto amorose prospectari. En dilecte mi, cordis mei triclinium tibi soli servatum, et huic mundo clausum, ad hanc vocem reseratur, te suscipere cupiens per illapsum. Sinus omnium desideriorum meorum sic iam se ad te expandens dilatatur, veluti cum rosa ad gelu

noctis clausa, ad solis radiosum splendorem se aperire festinat. Anima mea tota amore calens, brachia desideriorum suorum amplissime expandit, et tibi gratanter accurrit, ac inter cadentes lacrimas in amplexus ruit spirituales.

Eia tota salus mea: et sic tali ignito vehementer desiderio, affectu fervidissimo te nunc inter brachia animae meae suscipio, te complector, tibi unior, cum reverentia et laude et gratiarum actione: Te obsecrans per tuae misericordiae viscera, ut hanc mortem pretiosam frustrari in me non permittas, sed me nunc ad gratiam receptum tibi unias tam efficaciter, ut neque prospera nec adversa me a te unquam valeant separare. Ecce oculi mei pallidam faciem tuam fixe intuentur; tota anima mea amore tuo resoluta, vulnera sanguine cruentata crebrius perosculatur, omnesque vires et potentiae meae fructu passionis huius lacrimose pascuntur. *Sub umbra* namque *illius, quem dudum desiderabam, nunc sedi,* sed *et fructus eius dulcis gutturi meo* (1). Nec immerito. Sunt etenim nonnulli, qui de vitae suae gaudent puritate; alii de meritorum suorum praesumunt multitudine, aut exercitiorum spiritualium immensitate laetantur.

Ego autem quid? Vere tota spes et solatium meum ex tua dependet passione, ex meritorum tuorum magnitudine ac pretiositate, et matris tuae benignissima pietate, ut tu solus nosti, qui paupertatem meam considerasti. Et ideo haec dominicae passionis recordatio mihi est cordis in domicilio affectuose recondenda, et verbis ac operibus opitulante gratia prosequenda, et omni cum honore et reverentia magnificanda. O Rex regum et Dominus dominantium, quem sic mortificatum et miseriis afflictum, oculis fidei, pleno affectu anima mea iam amplectitur, con-

(1) Cant. 2, 3.

cede mihi, ut et te gloriosum atque sublimem et super astra caeli ad dexteram Patris sedentem perenniter videre mereatur. Sed et tu, Virgo beata, mater piissima, quae iuxta crucem Filii tui stetisti, et doloris eius vulnera in anima tua efficaciter persensisti, ac sanguinis eius aspergine rubricata fuisti, eique sola fidelitatem perfectam usque in finem servasti, et magno cum dolore a tumulo Filii tui separata fuisti: Tibi haec omnia compassionis vulnera pro singulari gloria ad memoriam revoco, Virgo pia. Et sicut nunc quoque affectu devoto inter cordis mei brachia, o mater veneranda, te excipio, et compassionis te lacrimis associans per portam civitatis quondam Ierusalem ad domum reduco, praeteritorum gestorum sub exemplo: sic, o mater gratiae, in extremae horae examine anima mea et cunctorum aeternae Sapientiae discipulorum de corporis ergastulo exeuntium a te suscipiantur, et ad illam caelestem Ierusalem cum gaudio perducantur! Amen!

LIBER II.

Capitulum Primum.

De diversitate admiranda doctrinarum atque discipulorum.

Sapientiam omnium antiquorum exquirebat quidam avidus sapientiae discipulus, et narrationem virorum nominatorum investigabat. Versutias parabolarum scire cupiebat, et occulta proverbiorum exquirebat. Cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum (1), supplicans ut ipsum de hac vita migrare non sineret, antequam ad cognitionem verae et summae philosophiae perveniret. Interim vero dum de studio ad studium pergeret, et undique hoc quod sitiebat avide quaereret, nec usquam idipsum, quod quaerebat, sed eius imaginem inveniret: quadam vice, videre sibi videbatur, quasi quandam sphaeram auream, mira amplitudine diffusam, et pulchritudine gemmarum perornatam. Ubi cuncta-

(1) Eccli. 39, 1-6.

rum artium et scientiarum magistri et scholares innumeri degebant. In sphaera autem praedicta duae mansiones distinctae fabricatae erant, et quaelibet harum suos doctores et discipulos habebat. Prima quae et inferior, videlicet liberalium artium et mechanicarum ac philosophorum diversorum, innumeram multitudinem continebat. Ibi astrologi in astrolabio suo ludebant. Physici naturas rerum subtiliter considerabant. Geometrici cum dimensionibus se occupabant. Musici certas vocum proportiones dabant; et quaelibet facultas ea, quae ad se pertinebant, tractabat. Quod medicorum erat, medici tractabant; fabrilia fabri. Verum hi omnes quasi velamen super faciem habere videbantur; et cum aestu vehementissimo laborarent, dulci quodam poculo recreabantur, quod tamen sitim ad plenum non exstinguebat, sed ariditatem generans, sitire magis ac magis faciebat.

In quibus scholis dum praedictus discipulus paulum substitisset, gustato huiusmodi poculo nauseam habere coepit. Quam ob causam has resignans, ad secundam mansionem accessit. Erat autem mansio illa pulchra valde, et mira varietate picturarum decorata. Stans igitur ante ostium, talem reperit ibidem superscriptionem: Haec est schola theologicae veritatis, ubi magistra aeterna Sapientia, doctrina veritas, finis aeterna felicitas. Quibus perlectis festinanter accurrit, et scholas intravit, cupiens totis visceribus huius scholae discipulus esse, per quam sperabat se ad finem desideratum pervenire.

Fuerunt in hac schola tres studentium ordines atque doctorum. Quidam in terra prope ianuam sedebant, gustu carentes, et vultum ad exteriora conversum habentes. In ore eorum mellea quoque verba, ab ore Sapientiae procedentia, in liquorem felleum convertebantur. Ex quo potu inebriati, spiritu quo-

dam inflatorio distendi videbantur, ita ut statim in superbiam se erigerent, regum animos induerent, praelaturas et gradus diversos ambirent, ac promotiones quaererent, et *in magnis et mirabilibus super* se ambularent (1). Speculationi scibilium solum intendebant, affectu vero frigidissimi remanebant. Ex ore eorum quasi farina subtilissima procedebat, et *subtilia texebant* (2). Vox eorum *quasi aes sonans, aut cymbalum tinniens* (3), aures hominum verberabat, sed ad cor minime pervenit. Coram oculis eorum velut nigri Aethiopes daemones ludentes saltabant, et eis cathedras honoris crebrius proponebant. Quibusdam aurum et argentum et latas possessiones ostendebant. Quibusdam vero longa et colorifera pallia induebant, et almucia delicata capiti eorum superponentes, procedere eos gradu ambitioso faciebant. Qui obducto supercilio, *attonitos* habentes *oculos* (4), caput moventes ac digitos extendentes, sapientiam suam cunctis transeuntibus, buccis crepantibus ostentare ambiebant. Sicque sapientiam studentes, et insipienter viventes, ab inimicis callide deludebantur. Eratque omnium istorum unus labor et intentio, ascendere et apparere.

Nam et ob hanc causam solummodo in studio laborabant, ut postmodum maiores libertates ad peragendam corporis curam in desideriis assequi possent, et facultatem faciendi, quae vellent, ampliorem sine contradictione haberent. Leonem quippe rugientem quis audeat provocare? Rem mirandam discipulus in hac mansione advertit, et risu dignam. Nam caelitus delapsa quasi pila argentea inter eos currebat, quae ex sua pulchritudine et pretiositate omnium in se aspectum provocabat, quae ab omnibus

(1) Psal. 130, 1.
(2) Is. 19, 9.
(3) 1 Cor. 13, 1.
(4) Iob 15, 12.

amabatur et desiderabatur, quia ipsa se habentibus gloriam et honorem praestabat. Hanc dum quidam inter ceteros et super ceteros doctor egregius (1) in manu haberet, et ex hoc per totum mundum sonaret, eiusque doctrina singulariter, sicut rosa sine spina, et sol absque nube praeclarissime rutilaret: multi hoc videntes et invidentes, sibi pilam de manu auferre modis, quibus poterant, attentabant, et nunc sagittas acutas nunc lapides duros iacentes, nihil proficiebant, sed mirum in modum in seipsis affligebantur et propriis sagittis percutiebantur. Haec pila dum inter eos curreret, studebant hi, qui aderant, non tam ipsam comprehendere, quam pro posse eam de manu alterius percutere et rapere, et ostendere, quod alius ipsam non haberet. Eamque non tam explicabant, quam quibusdam implicationibus involvebant. Fueruntque inter eos proh pudor mirabiles contentiones, clamores et contrarietates de hac pila. Haec autem taedium magnum ac displicentiam in animo multorum audientium generabant. Nam per haec non tam proficiebant, quam gymnasio vel spectaculo vano se interesse dolebant. Quidam autem eos sic *circa pugnas verborum languentes* (2) et se mutuo invadentes ac tamquam gallos compugnantes deridebant.

Cumque discipulus a circumstantibus quaereret, quidnam hoc mirabile esset, responsum est a quodam, quod haec pila argentea significaret veritatem Sacrae Scripturae, lucidam et sonoram, et incorruptibilem. Subdiditque: Haec veritas a modernis quibusdam non tam studiose quaeritur quam impugnatur, dum quilibet non pro ipsa adipiscenda laborare videtur, sed totis viribus probare contendit, quod quivis alius

---

(1) Nimirum doctor angelicus Thomas Aquinas.
(2) 1 Tim. 6, 4.

ipsam veritatem nequaquam habeat; et ex hoc seipsum praeferre, et alium supprimere intendit. Et proinde fiunt improbationes, replicationes et opinionum novitates mirabiles, quae magis in admirationem ducunt, quam utilitati proficiant audientium. Nempe veritatem, quam reserare auditoribus debuerant, quibusdam intentionibus et vocabulorum novitatibus ignotis velant, et propter ostentationem vanam ipsam plerumque reddunt veritatem obscuram.

Fuerunt praeterea ex ipsis nonnulli, qui repente docere volebant, quod non opere, sed meditatione didicerant; eorumque doctrina non ex vita atque exercitiorum frequentia, sed ex affirmatione processit sola. Nam libros Sanctorum Patrum, qui olim vigente religione et florente devotione in usu erant, sicut collationes Patrum et similia devotionis germina, ubi devotionis fundamenta, et spiritualis scientia, et totius perfectionis continetur summa, quae hominem ad compunctionem et suiipsius recognitionem et devotionis perditae restaurationem ac divinum trahunt fervorem, spernentes, ad ea se scripta, quae vel ambitioni deserviunt vel quaestui convertebant. Quod etsi praemissa inspiciebant, non propter novam devotionis gratiam acquirendam, sed propter meliorem consecutionem finis ab ipsis intenti hoc faciebant. Seipsos namque inaniter exaltare vel pascere principaliter cupientes, humanam intendebant retributionem. Et sic proh dolor de seipsis desperantes, vel proximos plus quam seipsos diligentes, aut certe superiores se Patribus aestimantes, devotionis studia non curabant.

Libros namque eiusmodi purissimam devotionem continentes, permiserunt ex negligentia vetustate consumi; sola sermonum volumina, et, si qua sunt, talia, quae propria implent marsupia, studiose revolventes, et sibi pretiose comparantes sub specie

pietatis, miseri seipsos neglexerunt. Et tamen velut ficus vacua quae foliis quidem abundat, fructu autem caret, modicum in populo fructum dederunt. Quippe homines, verborum foliis abundantes, fructu devotionis steriles remanserunt.

Quidam insuper ex eodem primo discipulorum numero, cum praelationes intentas consequebantur, exinde honestatem quandam vitae ac morum condignam ante oculos hominum quasi quoddam *sanctum saeculare* (1) hypocrizando induebant, virtutem autem eius abnegabant (2). Nam pacem propriam quaerentes, pacem autem salutis animarum dissimulantes, nimis remisse et negligenter egerunt. Amicos sibi consentientes attrahebant et plus iusto eos fovebant, per quorum fautoriam regimen suum stabilire praesumebant in aevum. Qui amore proprio excaecati, non videbant vermem, qui interiora vitae spiritualis corrodit; sed solummodo solliciti erant, qualiter de foris sibi pariter ac subditis suis quandam honestam vitam ad salutem praecise sufficientem, vivificatorio autem spiritu de intus carentem, compingere possent.

Hi quaedam idola in via posita destruxerunt, verumtamen excelsa non abstulerunt. Nam etsi quid forte corrigendum erat, ex quo sibi periculum quodcunque evenire, vel etiam displicentiam incurrere timebant, nec tamen dissimulando convenienter transire poterant, in persona haec propria facere recusantes, vicarios dereliquerunt, et ea, quae ipsi veluti gigantes solo digito destruere poterant, quibusdam Pygmaeis facienda commiserunt. Videntes autem hi negotium supra virtutem sibi impositum, pertransierunt, et aut non aut minus, quam oportuit, fecerunt.

---

(1) Hebr. 9, 1. (2) 2 Tim. 3, 5.

Sane rectores praedicti, cum lapsum tam notabilem in subditis viderent, haec emendare sine labore proprio cupientes, praecepta multiplicabant, ordinationes congeminabant, et magna eis onera et importabilia imponebant; ipsi autem digito suo ea levare noluerunt. Subditi autem ex hoc magis indurati et involuntarii effecti, culpam suam in eorundem rectorum negligentias retorquebant. Nam praedicti non erant primi, qui ad hostes prostrandos transfretarent et primi in acie pugnarent, sed qui ea, quae honoris erant vel utilitatis seu commodi temporalis, sibi usurpabant: Non attendentes quasi impossibile esse, homines indevotos solis reduci verbis, sed magis operibus bonis et vivis exemplis. Si enim reiecto pomposo adventu et sumptuosa expensa, quam faciebant, ipsi, qui ceteros emendare volebant, simpliciter et humiliter ac frugaliter se habuissent, et verbis ac exemplis ad omnia, ad quae ceteros arctare volebant, ipsi se primo dedissent, utique multum profecissent. Sed quia multa dicere et pauca facere contendebant, quasi serpentem cum cauda lubrica apprehendebant; et non solum non proficiebant, sed cotidie in deterius se labi videbant.

Et hi omnes praedicti de primo ordine studentium secundae mansionis erant. Porro hi, qui de secundo ordine erant, in statu proprio persistere videbantur. Tertii autem prope magistrum consederant, et aquam sapientiae salutaris ex ore eius bibentes inebriabantur, in tantum, ut seipsos et omnium aliorum oblivisce-rentur, et corde et animo, oculis ac facie sursum tenderent, et quodammodo in abyssum divinae speculationis ac dulcedinis immersi et absorpti, ad divina contemplanda raperentur. Hi quasi caelum stellatum in hoc mundo fulgebant, et velut ardens facula sursum tendentes, in se ardebant et proximos quosque in Dei amore accendebant. Tales quoque ad prae-

lationes et regimina assumpti, erant utilissimi. Nam et gratia divina atque industria humana erant miro modo praediti.

Cum autem discipulus haec diligentissime considerasset, admiratione maxima tenebatur, quidnam hoc esset, et maxime de hoc, quod de eadem veritate tanta difformitas in diversis discipulis nascebatur. Intellexitque quasi vocem dicentem sibi: Tres ordines, quos vidisti, tres modi sunt studendi atque docendi Sacram Scripturam. Primus modus est carnalis, quem habent hi, in quibus abundat littera sine spiritu: Qui, quanto plus litterati, tanto plus superbia inflati, atque nocivi sibi et aliis esse noscuntur: Qui non Dei laudem, vel suam et aliorum aedificationem, sed suam promotionem quaerunt. Secundus modus est animalis, et est in his, qui simplici quidem oculo in actu scholastico ea, quae ad salutem necessaria sunt, quaerunt, verumtamen opera supererogationis facere et *charismata aemulari meliora* (1) usquequaque negligunt. Tertius vero, qui et spiritualis, est eorum, qui toto cordis affectu ad ea, quae perfectionis sunt, se viribus omnibus extendunt, studiose operam dantes, ut sicut intellectus eorum scientia, sic et affectus eorum divina Sapientia repleatur; et sicut proficiunt in cognitione veri, sic et in amore summi boni: Qui gustant et vident *quoniam suavis est Dominus* (2): Qui se et alios per Sacram Scripturam ad debitum finem dirigunt, et nihilominus interius spiritu Dei aguntur. Igitur discipulus, aliis omissis cupiebat cum his mansionem habere, et se totum conferre ad studium illius verae et summae philosophiae.

---

(1) 1 Cor. 12, 31. (2) Psal. 33, 9.

Capitulum Secundum.

De scientia utilissima homini mortali, quae est scire mori.

Cum omnes homines natura scire desiderent, o summa et aeterna Sapientia, et in te universali principe et naturae auctore, ad quem nobis sermo, omnes thesauri sapientiae et scientiae sint absconditi, sisque omnium artifex, omnem habens scientiam, omnia prospiciens: hinc avido cordis desiderio peto, ut thesaurum sapientiae tuae mihi aperias, scientiamque sanctorum et de rebus magnis instruas, et ut materias quoque subtilissimas ac profundissimas nunc pertractandas in medium proponas.

Sapientia respondit: Fili mi, noli altum sapere, sed time! Audi me, et docebo te utilia. Tribuam tibi donum electum (1). Doctrina mea, ipsa erit vita tua. Igitur exordium disciplinae salutaris a timore Domini inchoantes, qui initium est sapientiae, docebo te hic per ordinem: Primo qualiter moriendum sit: Postea qualiter vivendum: Deinde qualiter me debeas sacramentaliter recipere, et demum quomodo pura mente me debeas iugiter laudare.

Cui discipulus: Hoc est, Domine mi, quod semper optavi et votis omnibus exquisivi. O si scirem has artes utilissimas, videlicet feliciter mori, et bene vivere, te affectuose recipere, ac devote laudare: quid amplius vellem requirere? Sed, quaeso, dic mihi, ad quid prodest haec doctrina moriendi, cum mors non habitus sed privatio esse cognoscatur.

Ad haec Sapientia: *Multum per omnem modum* (2).

---

(1) Prov. 4, 2; Sap. 3, 14. (2) Rom. 3, 2.

Scientia utilissima et cunctis artibus praeferenda est haec scientia, scire videlicet mori. Scire quidem se esse mortalem, omnibus commune est, cum nemo sit, qui semper vivat vel qui huius rei fiduciam habeat. Sed paucissimos invenies, qui scire mori sciant; quia hoc donum Dei permaximum est. Scire namque mori, est paratum habere cor et animam omni tempore ad superna, ut quandocunque mors venerit, paratum eum inveniat, ut absque omni retractione eam recipiat, quasi qui socii sui dilecti adventum desideratum exspectat. Sed proh dolor in nonnullis religiosis, sicut et in saeculi hominibus vanis, valde multos invenies, qui mortem hanc tantum abhorrent, ut vix eius memoriam admittere velint. Discedere de hoc mundo nolunt, quia scire mori nondum didicerunt. In vaniloquiis et iocis et scurrilitatibus ac ceteris similibus supervacuis rebus multum de tempore suo expendunt; et ideo cum extemplo mors supervenit, quia male paratos invenit, miseram animam de corpore rapit et ad gehennam deducit, sicut et quondam tibi quoque frequentius frenum imposuerat et te secum abducere volebat, si manus miserationum Domini non obstitisset. Tu autem nunc vacua vacuis relinquas et doctrinae meae intendas, quae *tibi magis proderit, quam aurum* electum (1) et prae libris omnium philosophorum. Et ut ardentius te mea haec doctrina moveat et in corde tuo semper fixa permaneat, ideo sub exemplo sensibili doctrinae huius mysterium tibi tradam: quod tibi valde proderit ad salutis initium, et ad cunctarum virtutum proficiet stabile fundamentum. Vide ergo nunc similitudinem hominis morientis, et tecum pariter loquentis.

Discipulus haec audiens, coepit se ab exterioribus colligere, et in seipso similitudinem propositam dili-

(1) Eccli. 29, 14; Baruch 3, 30.

gentissime considerare. Erat autem ante eum similitudo iuvenis pulcherrimi, qui morte praeventus, in proximo migraturus erat, et de salute animae suae nihil disposuerat. Qui huiusmodi voce miserabili clamabat: *Circumdederunt me gemitus mortis; dolores inferni circumdederunt me* (1). Heu me, Deus aeterne, ad quid in hunc mundum nascebar? *Natus ex utero cur non statim perii?* (2). En principium vitae meae fuit cum fletu et dolore; nunc autem finis et exitus meus exstant cum miserabili planctu et moerore. O mors, quam amara est memoria tua cordi iucundo et in deliciis enutrito! Horribilis praesentia tua ei, qui et aetate iuvenis et robore fortis et qui potitur successibus prosperis. O quam parum credidissem, quod tam cito mori debuissem! Sed nunc mors, o misera, repente quasi ex insidiis erumpens irruisti super me. Comprehendisti atque mille funibus ligasti, et in vinculis ferreis tecum trahis, sicut trahi solet damnatus ad supplicium mortis. Nunc prae dolore complosis manibus rugitum emitto. Cupiens mortem effugere, et non est locus diffugiendi. Circumspicio ad omnem plagam, et deficit consiliator et adiutor. Fixum est, mutari non potest. Vocem mortis horribilem audio, intonantem atque dicentem: Filius mortis es tu. Nec opes nec ratio nec cognati aut amici valebunt te liberare de manu mea. Finis venit, venit finis. Decretum est, impleri oportet. O mi Deus, oportet me iam mori? Non potest haec sententia mutari? Debeo iam tam cito de hoc mundo recedere? O mortis immensa crudelitas, o impietas et indignatio miseranda! Parce, quaeso, parce iuventuti, parce nondum maturae aetati! Non sic crudeliter agas, nec me subtrahas ab hac luce tam improvise!

---

(1) Psal. 17, 5-6. (2) Iob 3, 11.

Discipulus haec audiens, conversus ad eum dixit: Amice, verba tua non mihi videntur sapere disciplinam. Nescis, quia aequum est iudicium mortis? Personam non accipit, nec alicui parcit, sed se aequaliter omnibus condividit. Nec iuvenis aut senis miseretur. Ignorat nobiles, et potentes non veretur. Divitem ut pauperem similiter perdit. Quinimmo plures ante perfectam completionem annorum suorum de medio sublati sunt. An putabas, quod tibi soli mors parcere deberet, et tabernaculum tuum fictile ingredi non auderet? Et prophetae mortui sunt.

Respondens autem similitudo mortis dixit: Vere consolator onerosus es tu. Nec verba mea sonant imprudentiam, sed hi potius insipientibus similes censendi sunt, qui impie usque ad mortem vixerunt, et, quae digna sunt morte, egerunt, nec tamen mortem timent vicinam. Caeci sunt et iumentis insipientibus similes, novissima sua et, quae post mortem ventura sunt, non providentes. Non defleo iudicium mortis, sed fleo damna indispositae mortis. Non ploro, quod hinc exiturus sum, sed plango et lugeo damna dierum, qui inutiliter et sine omni fructu pertransierunt. Qualiter vixi? *Erravi a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit mihi, et sol intelligentiae non est ortus mihi. Lassatus sum in via iniquitatis et perditionis, et ambulavi vias difficiles; viam autem Domini ignoravi.* Heu *quid mihi profuit superbia, aut quid divitiarum iactantia contulit mihi? Transierunt omnia illa tamquam umbra* praeteriens, *et tamquam nuntius* cito *percurrens, et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum praeterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinae illius in fluctibus: aut avis, quae transvolat in aëre; nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aërem commotis alis transvolabit, et post haec nullum signum*

invenitur itineris illius: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum; divisus aër continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius. Sic et ego natus continuo desivi esse, et virtutis quidem signum nullum valui ostendere; in malignitate autem propria consumptus sum. Spes mea tamquam lanugo, quae a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis (1). Et ideo *sermo meus nunc in amaritudine est, et verba mea plena sunt dolore* (2). *Propterea factum est moestum cor meum, ideo contenebrati sunt oculi mei* (3). Quis mihi det, ut sim *iuxta dies antiquos* (4), quando stola fortitudinis et decoris indutus eram et annos plurimos ante me habebam, ut praecognoscere possem mala, quae irruerunt super me in hac hora? Non curabam temporis pretiositatem immensam, sed *datis flatibus navi* (5), et freno concupiscentiae laxato, dies in vanitate deducebam. Pretiositatem vero eius non attendebam, sed me quasi onagrum (6) liberum natum putabam. Nunc autem *sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic captus sum in tempore malo, quod mihi extemplo supervenit* (7). Tempus praeteriit, dilapsum est. Revocari a nullo hominum potest. Non fuit hora tam brevis, in qua non spiritualia lucra, suo valore incomparabiliter omnia terrena excedentia comparare potuissem.

Heu me miserum! Ideo nunc stillat prae dolore oculus meus, et palpebrae fluunt aquis, quia revocare, quod praeteriit, non possum. O mi Deus, quare neglexi? Quare tardavi? Quamobrem dissimulavi?

---

(1) Sap. 5, 6-15.
(2) Iob 23, 2; 6, 3.
(3) Thren. 5, 17.
(4) Mich. 7, 14.
(5) Act. 27, 15.
(6) Iob 11, 12.
(7) Eccle. 9, 12.

Cur tot gratiosos dies longissimis et vanissimis locutionibus expendi, et meipsum in tantum neglexi? O cordis mei gemitus inenarrabiles! Quare studui vanitati, et quare non tota vita mea didici mori? Eia vos omnes, qui adestis, qui meam miseriam videtis, qui flore iuventutis adhuc gaudetis, et qui adhuc tempus aptum habetis, me respicite measque miserias considerate, et in meo periculo damnum vestrum declinate! Florem iuventutis vestrae cum Deo expendite, tempus sacris actionibus occupate, ne similia facientes similia patiamini. Heu grata iuventus, qualiter te perdidi! O Deus aeterne, tibi conqueror miseriam, quam patior. Verba increpationis iuventus lasciviens odivit; docentibus me acquiescere nolui; pie admonentibus, inclinare aurem neglexi. *Detestatus sum disciplinam et increpationibus non acquievit cor meum* (1). Ah mi Deus, nunc in foveam profundam cecidi, laqueum mortis incurri. Melius mihi erat, si natus non fuissem, vel in utero matris periissem, quam quod tempus mihi ad poenitentiam concessum tam inutiliter expendi, et ipso in superbia abusus fui.

Respondens autem discipulus dixit: Ecce *omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertentur* (2); nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus est. Audi ergo vocem meam, et age poenitentiam de transactis, et convertere ad Dominum Deum tuum, quia benignus et misericors est; et si finis erit bonus, sufficit ad salutem.

Ad haec similitudo praedicta respondit: Quis est hic sermo, quem loqueris? Debeo poenitere? Debeo me convertere? Nonne vides angustias mortis me prementis? Ecce timore et horrore mortis tam

(1) Prov. 5, 12. (2) 2 Reg. 14, 14.

vehementer perterritus sum! Vinculis mortis alligatus sum, et anxietatibus nimiis mens mea premitur, ut, quid agendum sit, penitus non videam. Sed quemadmodum perdix, cum sub unguibus accipitris mox discerpenda comprimitur, prae angustia mortis quodammodo exanimis redditur: sic omnis sensus a me recessit, nil cogitans nisi hoc, si quomodo evadere possem mortis discrimen, quod tamen evadere nequeo. Mortis imperium me premit, et separatio amara laedit me. *Haeccine separat* me *amara mors* (1).

O felix poenitentia et conversio matura, quia secura! Qui autem tarde poenitentiae se committit, dubius et incertus erit, quia nescit utrum vere an ficte poeniteat. Vae mihi, quia tam diu vitam meam corrigere distuli, quod tam diu salutem meam retardavi! O longa nimis protractio emendationis meae, qualiter me neglexisti! Propositum bonum sine inchoatione, voluntas sine operatione, promissa bona sine exsecutione perdiderunt me. O cras, cras, quam longam restim fecisti, et in barathrum mortis me procrastinando pertraxisti! Decepisti me, et deceptus sum. Nonne haec miseria superat omnem miseriam huius mundi? Nonne super his merito affligitur cor meum, et sauciabitur anima mea? En omnes dies mei pertransierunt; triginta anni aetatis meae dilapsi et perditi sunt, et miserabiliter perierunt. Transierunt tam negligenter, quod nescio, si unquam diem ex omnibus his expendi in voluntate Dei, in exercitio cunctarum virtutum, tam laudabiliter et perfecte, sicut forte potuissem et debuissem: vel si unquam placitum famulatum conditori meo exhibui tam gratum et acceptum, sicut status meus requirebat. Heu me proh dolor! Hoc est ergo, unde vulnerantur omnia interiora mea.

(1) 1 Reg. 15, 32.

Ah Deus aeterne, quam verecunde coram te et sanctis omnibus ad iudicium stabo, cum reddere rationem de transactis commissis et omissis cogor. Et quid adhuc dicam? In proximo est tribulatio mea, ut de hoc mundo recedam. Attendite ad me nunc, quaeso, diligenter! Ecce in hac hora magis gauderem de brevi oratiuncula, puta salutatione angelica devote pro me dicta, quam *super milia auri et argenti* (1). O mi Deus, quanta bona neglexi! Quam male accidit mihi, quod haec non providi, quando bene providere potui. Quot horas nunquam redituras perdidi! Quam modica facta et negotia inutilia tractans, tam multa et pretiosa bona neglexi. Negotiis non necessariis me implicavi, et necessaria dimisi. Aliorum adiutorio plus, quam necesse fuit vel mihi expediebat, intendebam, et meipsum negligebam. Eorum manibus me commisi, et meipsum perfecte iuvare neglexi.

Vere nunc cognovi, quod ad magnitudinem praemiorum caelestium plus mihi contulisset sollicita custodia cordis mei et omnium sensuum meorum cum animi puritate, quam hac neglecta vel per affectum inordinatum infecta, triginta anni, quibus quivis alius per prostrationes suas apud Deum mihi praemia obtinere niteretur. Audite, audite omnes, qui meis interestis miseriis! Quia tempus, ut videtis, mihi deficit, accessi omnes amicos, requisivi singulos, de quibus spes mihi erat, petens eleemosynam sterilem et tenuem mihi dari de abundantia divitiarum spiritualium et bonorum operum suorum in suppletionem egestatis meae et in emendam delictorum meorum: et frustratus sum. Repulerunt me dicentes: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis* (2). Ah Deus piissime, misericordiarum pater mitissime,

(1) Psal. 118, 72. (2) Matth. 25, 9.

haec respice et compatere patienti. Heu quanta bona in tanto tempore sano corpore potuissem fecisse, et non feci! Quam immensas divitias spirituales et thesauros caelestes potuissem congregasse, et neglexi! O Deus meus, et quam nunc minima opera satisfactoria mihi grata et accepta essent! Cupiens recreari de micis, quae cadunt de mensa dominorum meorum (1), et nemo mihi dabat. O vos omnes, compatimini mihi et miseremini mei; et, quamdiu vires suppetunt et tempus iuvat, congregate in horrea caelestia thesauros caelestes, *ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula* (2), et non relinquamini vacui in tali hora vobis superventura, sicut me vacuum et bonis omnibus privatum videtis.

Discipulus autem rursus dixit ad eum: Amice dilecte, video dolorem tuum vehementem esse nimis, et ideo ex corde tibi compatior, adiurans te per omnipotentem Deum, ut mihi des consilium, ne periculum simile mortis indispositae tam subitaneae incurram.

Ad haec imago praedicta respondit: Optimum consilium summa prudentia et maxima providentia in hoc consistit, ut per veram contritionem et puram ac integralem confessionem te disponas, sanus et fortis, et per satisfactionem condignam; cuncta quoque noxia a salute aeterna te retrahentia ac impedientia proicias, et te iugiter omni tempore sic teneas, acsi hodie in huius diei spatio vel cras vel ad longius in hac septimana discessurus sis de hoc mundo. Pone in corde tuo acsi anima tua iam sit in purgatorio, et decem annos fornacem ignis ardentis in poenam pro delictis suis receperit, et solus iste praesens annus in adiutorium tui ipsius sit concessus. Sic igitur ipsam crebrius intuere inter flammeos globos ardentem, et attende vocem ipsius miserabilem

(1) Luc. 16, 21. (2) Luc. 16, 9.

ad te clamantem et dicentem: O amicorum omnium dilectissime, succurre miserae animae tuae. Memento incarcerati, miserere mei et praebe auxilium desolato! Ne diutius me permittas affligi in hoc carcere caliginoso, quia derelictus sum ab hoc mundo. Non est, qui fidelitatem ostendat, non est, qui manum porrigat egenti. Singuli, quae sua sunt quaerunt, et me ultricibus flammis desolatum derelinquunt.

Ad haec discipulus respondit: Utilissima prorsus haec doctrina esset, si quis eam per experientiam haberet sicut tu. Sed licet verba tua motiva valde et acuta videantur, parum tamen apud multos proficiunt. Avertunt faciem suam, ne videant in finem. Oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt. Diu se vivere arbitrantur, et quia mortem indispositam non metuunt, ideo miseri praevidere damna ipsius contemnunt. Cum nuntius mortis, infirmitas gravis, adest, conveniunt amici et socii ad aegrotum gratia visitandi. Omnes, quae bona sunt, prophetando promittunt, et nequaquam mortem adesse, sed neque omnino sibi timendum esse, vel etiam periculum imminere attestantur, sed fluxum transeuntem, vel qualemcunque humorum deordinationem, aut membrorum aut nervorum oppilationem in brevi transituram. Sic amici corporis inimici animae fiunt et miserum negligunt, quia, dum singulis momentis infirmitas ingravescit, et aegrotus semper de convalescentia sperat, tandem exhaustus improvise deficit, et sine fructu salutis spiritum infelicem exhalat. Sic et hi auditores tui, qui videlicet prudentiae humanae innituntur, verba tua post dorsum proiciunt, et nequaquam consilio tuo salubri acquiescunt.

Ad haec mortis imago respondit: Idcirco cum laqueo mortis capti fuerint, *cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super eos tribulatio et angustia: clamabunt et*

non exaudientur, eo quod exosam habuerint sapientiam, et consilium meum audire contempserint (1). Et sicut nunc pauci valde inveniuntur, qui ex verbis meis compuncti vitam suam in melius corrigant, sic revera propter malitiam temporis et defectum fervoris spiritualis, ac mundi senescentis malignitatem, paucissimi reperiuntur tam perfecte ad mortem dispositi, qui in tanta abstractione et cordis devotione exsistant, ut prae desiderio vitae aeternae mori cupiant et *cum Christo esse* (2) totis visceribus concupiscant; sed morte amara praeventi indispositi inveniuntur, sicut et ego praeventus sum. Et ideo non tam hinc exeunt, quam violenter quodammodo rapiuntur, ita ut bene sibi iam reputent accidisse, qui non velut pecora sine omni ratione moriuntur. Et si vis scire causam tanti et tam communis periculi: ecce honoris appetitus inordinatus, corporis cura superflua, amor terrenus, et sollicitudo nimia quaestus rei familiaris excaecant multitudinis corda diversa, et ad haec perducunt discrimina.

Tu vero, si cum paucis ab hoc periculo mortis indispositae salvari desideras, audi consilium meum, et hanc meam, quam vides, tristem personam frequenter oculis tuis obicias et ad memoriam iugiter reducas, et statim senties doctrinam meam tibi fore utilissimam. Ex ea namque proficies, ut non solum mori non timeas, verum etiam mortem cunctis viventibus terribilem tamquam laboris terminum et aeternae felicitatis initium exspectabis et excipies cum desiderio cordis tui. Hoc tantum facias, ut me cotidie profunde recogites, verba mea diligenter advertas, et ea in corde tuo conscribas. Ex visis in me doloribus et angustiis considera et pensa ea, quae tibi in proximo superventura sunt. Memento iudicii mei;

---

(1) Prov. 1, 27-29. (2) Phil. 1, 23.

sic enim erit et tuum. Mihi heri, tibi hodie. Respice in me, et memento noctis huius quoad vixeris.

O quam beatus es, Arseni, qui semper hanc horam ante oculos habuisti! Beatus, quem cum venerit Dominus et pulsaverit ianuam, invenerit vigilantem! Felix, quem bene paratum hac hora invenerit, quia feliciter migrabit, si etiam amaritudine mortis immensa afflictus fuerit. *Quacunque* enim *morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (1). Purgabitur et ad visionem gloriae Dei disponetur, a sanctis angelis custodietur, a supernis civibus deducetur, et a caelesti curia suscipietur. Exitus sui spiritus erit aeternae patriae felix introitus. Sed heu me miserum, ubi putas in hac nocte deget (2) spiritus meus? Quis suscipiet miseram animam meam? Ubi hospitabitur vel pernoctabit? Vel qui erunt, qui eam suscipient in illa regione ignota? O quam desolata erit anima mea, o quam derelicta et abiecta super animas universas! Vel quis est, qui ei fideliter adsit, et qui iuvare eam efficaciter velit? Ideo mihi ipsi compatiendo, inter verba amara, lacrimas quasi torrentem effundo. Sed quid valet me amodo flere et verba amarissima exaggerare? Conclusum est, mutari non potest. *Conclusit vias meas* inimicus, insidiator factus est mihi sicut leo in abscondito, *replevit* et inebriavit *me amaritudine* (3). Deduxerunt in lacum mortis vitam meam.

O mi Deus! Nunc finem verbis meis impono, ulterius plangere non valeo. Ecce venit hora, quae me aufert de terra! Heu me, nunc video, nunc experior, quia vivere amplius non valeo, et quod mors est in propinquo. En manus invalidae incipiunt rigescere,

---

(1) Sap. 4, 7.

(2) *Caesar. Dial.* II, 26: «domus illa in qua deget». *Gregor. Dial.* I, 5: «in Anconitana urbe per annos multos in monachico habitu deguit».

(3) Thren. 3, 9; 10, 15.

facies pallescere, visus obumbrari, et oculi profundari ac transverti. Ah me miserum! Puncturae mortis amarissimae circumdant me, et cor debile suffocare nituntur. O cordis angustiae et pressurae mortiferae! En pulsus incipit caprizare, halitus deficere et quasi ex profundo se colligere. Lucem huius mundi amplius non video. Et ecce iam statum alterius mundi prae oculis mentalibus quasi meditando prospicere incipio. O mi Deus, quam miserabilis aspectus! En cruentae bestiae, larvales daemonum facies, nigri Aethiopes innumerabiles circumdant me, insidiantes et exspectantes miseram animam, in proximo exituram, si forte torquenda eis in sortem tradatur.

O districtissime iudex, quam severissima sunt iudicia tua, quam multum ponderas in iudicando me miserum ea, quae pro sui modicitate pauci etiam curare praesumunt. En sudor mortis adest, membra penetrans, et victam naturam esse et iam succubuisse attestans. O terribilis aspectus iusti iudicis mihi iam praesentis per timorem, subito venturus per exhibitionem! Nunc valete, socii et amici carissimi, quia hinc iam exiturus, oculum mentis ad purgatorium, quo iam deducendus sum, converto, inde non exiturus, usque dum reddam minimum quadrantem. Illinc oculo cordis intueor miseriam et dolorem, poenam et afflictionem multiplicem.

Heu me miserum, ibi inter alias poenas illi loco debitas exsurgere video flammas ignium, et involvere et reimpingere quasdam animas miserorum, quae velût scintillae flammivomae in medio ignis candentis discurrunt, sicut cum magna villa tota in incendio ponitur, et in igne et fumo scintillae pariter sursum ac deorsum feruntur, ululantes et prae dolore cruciatuum clamantes singulae ac dicentes: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei! Ubi est nunc amicorum meorum adiutorium? Ubi sunt promissio-

nes bonae consanguineorum et aliorum, per quorum inordinatum affectum nos ipsos negleximus et hanc poenam nobismetipsis adauximus? Heu, cur hoc fecimus? Laboravimus placere eis volentes, et male remunerati sumus. Ardemus et aestuamus, nec ab eis adiutorium recipimus. Heu, cur de salute nostra nobismetipsis non providimus? En minor afflictio purgatorii huius, quod patimur, superat supplicium quodcunque illius mundi temporalis (1). Unicae horae istius, quam experimur poenalitatis acerbitas, centum annos in se putatur habere saeculi transeuntis miserias. Sed super omnia cetera tormentorum genera laedit nimium illius divinae faciei felicissimae absentia. Haec in ultimo agone constitutus tibi pro memoriali relinquo; et his dictis agonizando exspiro.

Ad hanc visionem discipulus valde ingemuit, et prae timore *contremuerunt omnia ossa* eius (2). Conversusque cum lacrimis ad Dominum dixit: Ubi est aeterna Sapientia etiam nunc? Numquid dereliquisti me, Domine, famulum tuum? Docere me sapientiam voluisti, et nunc usque ad mortem deductus sum. O mi Deus, quantum me tenet mortis in se praesentia! Sic me totum imago mortis rapuit, ut paene ignorem, utrum hoc, quod vidi, sit in re vel in similitudine. O Dominator Domine terribilis et misericors, tibi gratias refero, et emendam promitto. Magno namque nimis perterritus sum timore. Neque enim in tota vita mea sic evidenter adverti indispositae mortis pericula sicut in hac hora. Ego pro certo credo, quod haec horrenda visio semper valebit animae meae.

---

(1) S. Thomas, 4, dist. 21, qu. 1, a. 1, qu. 3: Poena purgatorii minima excedit maximam poenam huius vitae. — S. Augustinus, sermo 104, n. 5: Ille purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc saeculo poenarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri.

(2) Ier. 23, 9.

Certissime nunc cognosco, quia non habemus hic manentem civitatem; et ideo ad futurum animae immutabilem statum me toto nisu extendere cupio. Discere mori propono. Differre poenitentiam nolo, prolongare conversionem nullatenus volo. Emendare vitam meam absque retractione dispono. In tantum quippe territus sum de sola memoria: quid ergo fieret de praesentia? Tolle, tolle nunc a me lectisterniorum mollitiem, vestium pretiositatem, torporem somni me impedientem. En tantum laedor, tantum affligor, tantum crucior de minimis: et quid fieret de maximis? Difficulter possum sustinere modicas laesiones. Heu me, et qualiter possem tam immensos pati dolores?

O si sic mortuus fuissem, vel si iam decederem, quantam in me ignis ille materiam invenisset, propter peccatorum multitudinem et incompletam satisfactionem! Scio nunc quid faciam; quia dilectam animam meam non sic perire permittam, sed ei in transitorio et brevissimo hoc tempore per tolerantiam laborum et exercitium virtutum providebo, ut in hora tali extrema non poenam, sed quietem inveniat. O sancte et misericors Salvator, tam amarae morti ne tradas me! En coram te provolutus cum lacrimis peto, ut me hic ad libitum punias, neque in finem iratus reserves mala mea. In illo enim loco horrendo tanta est miseria et afflictio, ut nullus dicere sufficiat. O quam insipiens hucusque fui, eo quod mortem indispositam et poenam purgatorii immensam tam parum curavi; et quam magna sapientia est, saepius prae oculis habere ista. Sed nunc paterne admonitus, oculos aperio, et ipsam vehementer pertimesco.

Respondens autem *Sapientia* dixit: Haec, fili mi, dum adhuc iuvenis es et sanus ac robustus, et emendare vitam tuam poteris, omni tempore memorare! Sed cum in veritate ad hanc horam perveneris, et iuvare te aliter non potes, nihil restat, nisi ut te misericordiae

Dei solius committas, et passionem meam inter te et iudicium meum interponas, ne iustitiam meam ultra, quam necesse est, pertimescens excidas a spe tua. Iam vero timore nimio perterritus animaequior esto, sciens, quia timor Domini initium est sapientiae. Scrutare scripturas, et invenies, quam multa bona conferat homini mortis memoria. *Si annis*, inquit sapiens, *multis vixerit homo, et in omnibus his laetus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita* (1). *Memento* ergo *creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent; antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum* (2).

Tu autem benedic Deum caeli ex toto corde tuo et gratus esto, quia paucorum valde est sic aure cordis percipere huius temporis instabilitatem, mortis omni tempore insidiantis dolositatem, et futurae patriae permansuram felicitatem. Leva oculos tuos, circumspice diligenter et vide, quam multi sunt, qui mente excaecati claudunt oculos, ne videant in finem, aggravant aures, ne audiant et convertantur et sanentur (3). Quorum perditio non tardabit. Illorum quoque turbam innumerabilem, quos discrimen mortis indispositae iam perdidit, considera! Dinumera, si potes, multitudinem eorum copiosam! Attende, quam multi sunt, qui temporibus tuis pariter tecum commorantes, obierunt et sublati sunt de terra. Quanta fratrum et sociorum ac ceterorum tibi notorum multitudo in tam paucis annis te adhuc iuvenem praecesserunt, qui ad modicum tempus te post se relinquentes dormierunt. Hos intuere, ipsos alloquere, et veterem hominem cum ipsis reputa transisse. In-

(1) Eccle. 11, 8. (2) Eccle. 12, 1, 7. (3) Is. 6, 10.

terroga omnes, quaere a singulis, et docebunt te. Cum fletu et gemitu respondebunt tibi, et dicent: O quam felix, qui haec novissima providet, qui sibi a peccatis cavet, qui consilium tuum non negligit, qui se omni tempore ad hanc horam disponit. Igitur postpositis retrahentibus cunctis, *dispone domui tuae* (1). Praepara te ad viam universae carnis, ad horam mortis; quia pro certo nescis, qua hora veniet, et quam prope est. Ecce in ianuis est! Et ideo sicut viator in portu navem velociter pertranseuntem longinquas partes petentem stans prospectat, ne se negligat: sic omnis vita et actio tua ad hoc dirigatur, ut obitum beatum obtineas, et pervenias ad locum immortalitatis ac felicitatis aeternae.

Capitulum Tertium.

Formula compendiosa vitae spiritualis.

Memini me in diebus vanitatis meae, quibus frustra laboravi sub sole, legisse in doctrina sapientum huius mundi, qui communiter philosophi appellantur, quod finis habeat se in operabilibus velut principia in speculabilibus. Cum igitur tu, summa Sapientia, cordis mei desiderata sophia, tuam mihi tradideris pro principio artem bene moriendi: congruum est bonitati tuae, ut subinferas nunc doctrinam bene vivendi, et hoc compendiose et sub brevitate. Gaudent namque brevitate moderni. Faciendi quippe plures libros, nullus est finis. Denique iam a saeculi initio *pertransierunt plurimi, et multiplex fuit scientia* (2). Mundus diversitate doctrinarum repletus est. Mille sunt modi vivendi, unus quidem sic, alius vero sic.

---

(1) Is. 38, 1. (2) Dan. 12, 4.

Tot sunt codices de vitiis et virtutibus magistraliter tractantes, tot sunt quaterni quaestiones subtilissimas et propositiones diversas pertractantes, ut prius vita brevis deficiat, quam omnia studere, sed necdum perlegere contingat. Quis dinumerare posset omnia rationalia, naturalia, historialia, moralia, ac divina: Omnia scripta, cuncta commenta nova et vetera, elementationes, compilationes, singulosque tractatus, ac summas, quibus universa superficies terrae tamquam fluvio inundante irrigata est? Haec omnia taedioso et infirmo discipulo revolvere dispendiosum esset. Et ideo ex his omnibus brevissimam perfectionis formulam, quatuor verbis expressam, prout rudimentis militiae spiritualis congruit, peto mihi tradi.

Sapientia respondit: In illo choro sanctorum, qui velut astra matutina in nocte mundi istius refulgebant, et velut luminaria magna claritate scientiae coruscabant, invenies quosdam, qui vehementius non solum in actuali, verum etiam theorica virtute flagrabant. Quorum traditione et exemplo recipies vitae spiritualis perfectissima documenta. Verum inexperientiae et ineruditioni tuae condescendere cupiens, quaedam tibi vitae spiritualis principia brevissime quasi pro memoriali tradam, quae semper ad manum habens dirigi poteris in agendis.

Igitur si optabilem cunctis vitae spiritualis perfectionem habere desideras, si viriliter ipsam aggredi affectas: debes teipsum abstrahere a societatibus et familiaritatibus nocivis, et ab omnibus hominibus propositum tuum impedientibus, et breviter a cunctis mortalibus, quantum possibile est, ex voto tuae professionis, salva semper oboedientia humili et prompta superiorum, semper captans opportunitatem, ubi et quando locum possis reperire quietis, et contemplationis carpere secreta silentia, praesentisque sae-

culi vitare naufragia, et perturbationes mundi fugere perstrepentis (1).

Omni tempore puritati cordis debes principaliter studere, ut videlicet continue velut clausis carnalibus sensibus in temetipsum convertaris, et cordis ostia a formis sensibilium et imaginationibus terrenorum, quantum possibile est, habeas diligenter serata. Puritas namque cordis inter omnia exercitia spiritualia sibi quodammodo tamquam quaedam finalis intentio, ac laborum omnium retributio, quae in hac vita miles Christi emeritus recipere consuevit, sibi vindicat principatum. Affectum tuum cum omni diligentia absolvas ab his omnibus, quae libertatem ipsius impedire possent, et ab omni re possibilitatem habente alligandi et tenendi ipsum affectum ad inhaerendum, iuxta illud legis mosaicae: *Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur ostium domus suae die sabbati, et sabbatizabit populus* (2). In semetipso namque esse est, dispersiones cordis sui et affectiones ad unum, verum, et simplicissimum bonum recolligere, et collectas habere. Sabbatizare vero est, cor ab affectione carnali animam inficiente, et a curis mundanis ipsam distrahentibus absolutum esse, et in pace cordis sui tamquam in portu silentii, in amore et fruitione conditoris suaviter quiescere.

Super omnia autem alia, hic tibi sit principalis semper conatus, ut animum tuum iugiter sursum in contemplatione divinorum elevatum habeas, ut divinis rebus ac Deo mens semper inhaereat, et derelicta fragilitate terrena ad superna iugiter transferatur.

Quidquid autem ab his diversum est, quamvis magnum videatur, sicut corporis castigatio, ieiunium

---

(1) Cassianus, *Collationes Patrum*, Collatio I.
(2) Exod. 16, 29.

vel vigiliae, et similia virtutis exercitia, quasi secundaria et inferiora iudicanda sunt, et tantum expedientia quantum ad cordis proficiunt puritatem. Inde est, quod iam paucissimi ad veram perfectionem perveniunt, quia in mediis non multum proficuis tempus et vires expendunt, debita remedia negligunt et postponunt. Tu vero, si recto tramite ad finem intentum pervenire desideras, debes summopere ad perpetuam cordis puritatem et mentis tranquillitatem anhelare, atque cor sursum iugiter ad Dominum elevatum habere.

DISCIPULUS: Quis in hoc fragili corpore potest huic spirituali theoriae semper affixus esse? (1).

SAPIENTIA: Nullus mortalium potest huic contemplationi iugiter inhaerere. Sed ideo dictum est, ut scias, ubi mentis tuae intentionem debeas habere fixam, et ad quam destinationem semper animae tuae revoces intuitum. Quam, cum potuerit obtinere, mens gaudeat, et a qua distractam se doleat, atque suspiret quotiescunque se ab illo intuitu deprehenderit separatam! Quodsi forsitan querulosa voce mihi obviare volueris, dicens te diu in uno eodemque statu permanere non posse: nosse debes, quod divina virtus plus potest facere, quam homo possit cogitare, et quod frequentia actus similem sibi ha-

(1) Cassianus, *ib.*, Coll. 12: Postremo... quemadmodum mens vel in quo illi visibili et incomprehensibili Deo valeat inseparabiliter cohaerere cupimus audire. — Coll. 13: Inhaerere quidem Deo iugiter et contemplationi eius quemadmodum dicitis inseparabiliter copulari impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato. Verum oportet nos scire, ubi mentis nostrae intentionem debeamus habere defixam et ad quem destinationem semper animae nostrae revocemus intuitum... a qua distractam se doleat atque suspiret, totiesque se a summo bono sentiat recidisse, quoties se ab illo intuitu deprehenderit separatam.

bitum generare consuevit. Unde saepius contingit, quod illud, ad quod fortassis homo in principio se astrinxit cum violentia quadam et difficultate, postea faciliter operabitur, et tandem cum magna delectatione, dummodo a coeptis non desistat.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui (1). Attende diligenter verba mea, et ea in corde tuo quasi in libro scribe! Noli aemulari multitudinem eorum, qui iam retro conversi sunt post desideria cordis sui, in quibus devotio tepuit, caritas refriguit et defecit, humilis oboedientia prostrata est: qui placere hominibus cupiunt, honores quaerunt, ventri serviunt: qui supra modum *diligunt munera, sequuntur retributiones* (2), qui in hoc mundo ipsum, quod quaerunt, pro mercede operis sui recipiunt, et in futuro vacui remanebunt. Sed illos egregios flores sanctissimos patres, qui incomparabili flagrabant studio sanctitatis, attende, et eorum festines propositum simili studio et conversatione suscipere, quemadmodum tibi iam propositum est. Sive igitur comedas, sive bibas, sive aliquid aliud facias (3), semper haec vox pii patris resonet in auribus tuis, admonentis et dicentis: Fili mi, ad cor redeas, ab omnibus, quantum possibile est, teipsum abstrahendo. Mentis oculum semper in puritate et tranquillitate custodias, intellectum a formis rerum infimarum praeservando. Voluntatis affectum a curis terrenorum penitus absolvas, summo bono amore fervido semper inhaerendo. Memoriam quoque iugiter sursum elevatam habeas, per contemplationem divinorum ad superna tendendo, ita ut tota anima tua cum omnibus potentiis suis et viribus in Deum collecta, unus fiat spiritus cum eo: in quo summa perfectio viae cognoscitur consistere.

Haec igitur brevis doctrina pro vitae tuae for-

---

(1) Prov. 1, 8. (2) Is. 1, 23. (3) 1 Cor. 10, 31.

mula tibi sit tradita, in qua summa summarum totius perfectionis consistit. In qua si diligenter studueris, et fideliter effectui mancipare curaveris, beatus eris, et quodammodo aeternam felicitatem in hoc fragili corpore inchoabis. Haec est, fili mi, salutis via, quam tuus Arsenius ab angelo edoctus servavit, et servari suis discipulis mandavit. Fuge et tace et quiesce! Haec, inquiens, sunt principia salutis. Hanc quoque doctrinam clarissimam divina Sapientia cuidam discipulo suo, quem nosti, revelavit, cum eum de statu suo evidenter informavit. Praedictus namque discipulus, cum scientiis humanitus inventis adhuc specietenus insistere proponeret, coeperunt plurimae vanitates quasi post tergum suum succrescere, et coepit ad honores ac promotiones plus, quam oportuit, aspirare temporales. Cumque tempus eius, pro quo diu laboraverat, adesset, et sublevari ad honores desideratos debuisset, coepit cogitare intra se, quidnam magis ei expediret, vel quid Deo placeret. Quadam igitur vice post matutinas in oratione se prostravit, devotissime petens a Domino, ut, quid sibi faciendum esset, revelare dignaretur. Tandem ab oratione surgens, et super asserem se reclinans, vidit in visione quendam iuvenem decorum ad se venientem, qui ipsum per manum accipiens duxit ad quandam ecclesiam, in qua erat constructa quaedam parva cellula, quam inhabitabat solitarius quidam anachoreticam ducens vitam; et hic erat grandaevus et canus, prolixam habens barbam; et lucebat in eo gratia divina. Apparuit autem iuxta cellam eiusdem senis scala sursum erecta, in qua iuvenis praedictus quasi ascendendo et descendendo ludebat. Vocans igitur iuvenis ille fratrem, dixit ei: Veni et audi lectionem, quam tibi volo legere. Cui frater laetus accurrebat, cupiens primo videre librum, de quo lectionem auditurus erat. Et ecce in manu eius liber antiquissimus,

parvae quantitatis, qui quasi nullius reputationis secundum faciem putabatur, et quasi abolitus non curabatur. Incipiens igitur iuvenis haec legebat: Fons et origo omnium bonorum homini spirituali est, in cella sua iugiter commorari. Quae verba ex ore iuvenis procedentia, de libro antiquo lecta, tam dulciter in auribus fratris resonabant, et in corde dulcescebant, quod totus sibi in amorem caelestem resolvi videbatur, ita ut ex efficacia verborum caelestium evidentissime demonstraretur, quisnam esset, qui praedicta legisset. Cum autem frater iuveni instaret, ut sibi praedicta verba iterato repeteret, statim petitionem implevit, et sicut prius eadem verba relegebat, dicens: Fons et origo omnium bonorum homini spirituali est, in cella sua iugiter commorari. Tunc frater prae exsultatione spiritus sui dixit: O quam pretiosa et utilis est haec sana doctrina! Et subiunxit quaerendo, quisnam esset de numero sapientum, qui sententiosum hoc dictum protulisset. Iuvenis respondit: Summus ille philosophus Arsenius. Cui frater instabat, ut sibi plus de praedicto libro legeret. At ille iterum inchoavit legere in haec verba: E converso, fons et origo omnium malorum sunt discursus inutiles evangelizantium. Quod verbum praedictus frater cum aliquali cordis turbatione recipiens, nitebatur arguere in contrarium, adducens in medium discursus sanctorum apostolorum, qui per universum mundum sola evangelizandi gratia discurrebant: non attendens tunc, quod hoc simile, quantum ad hanc partem, locum in proposito non habebat, et quod ista verba ex intentione non plus tangerent evangelizantes, quam universaliter omnes Deo placere cupientes. Manifestum quippe est, quod unicuique initium omnium malorum erit, si discursibus inutilibus frenum laxare voluerit. Ad haec autem praedictus iuvenis nil respondit, sed cum omni mansuetudine dixit:

Scias, frater, quod inutiles discursus praedictus philosophus multum detestatur. His dictis visio disparuit.

Saepe dictus autem frater consolationem caelicam sibi sentiens infusam, intra semetipsum resumere coepit, quae viderat et audierat, et cum admiratione multa cogitare, quisnam esset ille Arsenius philosophus. Siquidem illo tempore mundanae philosophiae studiose adhuc intentus erat, et eiusdem scientiae philosophis oculum dabat. De spirituali vero philosophia et eius tractatoribus nondum tantum curabat. Dicebat igitur intra se: Ecce, quot libros diversorum philosophorum legisti, et quot philosophos allegare audisti, et de hoc Arsenio in nulla philosophia unquam mentionem fieri audivisti! Tandem in se reversus, coepit cogitare dicens: Fortassis iste est Arsenius famosissimus, doctrinae christianae philosophus, anachoreta praecipuus, quem ante multos annos allegare audisti, licet tibi nunc a memoria exciderit. Et fortassis in argumentum huius est, quod vidisti praedictum senem cellam modicam inhabitantem, et iuvenem illum librum antiquum in manu tenentem et praedicta legentem: per quae dantur intelligi vitae Sanctorum Patrum et eorum collationes: qui liber a plerisque tamquam antiquus et abolitus parum curatur, licet nucleus totius perfectionis, et vera scientia christianae philosophiae in ipso esse certissima experientia cognoscatur. Surgens igitur praedictus frater diluculo, petiit a librario vitas Patrum, volens scire in veritate, utrumnam sic esset, et utrum praedictum Arsenium usquam in ipso contentum inveniret, de cuius dictis sibi pro tunc nihil omnino conscius erat. Cum autem librum aperuisset, subito praedictus Arsenius occurrit, et eandem sententiam in dictis suis, qualem iuvenis de libro antiquo legerat, clare invenit. Ex his ergo sufficienter informatus, se ad manendum contulit, et

scholas, quas ab aliis salubrius regi aestimabat, deserens, ipse tamquam animo infirmus resignavit, et se dictis praefati philosophi conformare optabat.

DISCIPULUS: Verba tua tamquam de caelesti scrinio assumpta, sic me totum movent, ut eorum suavissima dulcedine fervor devotionis augeatur, et via planissima vitae perfectioris audienti praebeatur, omni difficultate remota.

Capitulum Quartum.

Qualiter Christus in sacramento Eucharistiae sit devote recipiendus.

Quoniam ad virtutum scholas, o summa et aeterna Sapientia, ferventi desiderio properare, ac sedula mente eis intendere, doctrinae tuae utilitas et verborum tuorum gustata suavitas me provocavit, ubi, dum crebro invenio, qualiter mori ac vivere debeo, fateor me in horum actuali exercitio propria ex fragilitate succumbere; atque ideo ad omnipotentiam tuam confugiens peto, ut, ad quae remedia in adversis recurrere debeam, ostendere tua pietate digneris.

SAPIENTIA: Septem Ecclesiae sacramenta, septem remedia sunt, per quae homo quodammodo in spiritualem creaturam regeneratur, fovetur et nutritur, et gratia mediante ad summum gradum perfectionis promovetur. Inter quae tamen quodam excellentiori modo, divini amoris radius, ac caelestis gratiae quidam fluvius devotas animas feliciter incendens ac suaviter inebrians, de sacramento Eucharistiae noscitur peculiarius emanare. Nam sicut arida ligna materiam idoneam praestant igni materiali, et flammas eius faciunt in altum succrescere et se diffundere cir-

cumquaque: sic revera hoc sacramentum, caloris spiritualis incentivum, igni divini amoris immensum praestat fomentum, et ipsum fovet, devote susceptum. Nam inter omnia amoris indicia, nihil est, quod adeo totum sibi rapiat animum diligentis, sicut dilecti desiderata praesentia: quae ceteris omnibus antefertur. Proinde in ultima cena dilectis discipulis memetipsum sacramentaliter obtuli, ipsisque ac omnibus huius sacrificii ministris in virtute verborum meorum potestatem hanc immensam delegavi, ut me corporaliter praesentem possint habere, qui per Divinitatis praesentiam censeor esse ubique.

DISCIPULUS: *Oro, Domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo! Tu es enim Dominus meus* (1), et ego servus tuus. Si bene adverti, dixisti te in hoc sacramento esse non figuraliter, sed realiter, non intentionaliter, sed corporaliter: quod an ita sit, precor humiliter edoceri, quia hoc magnam praestaret materiam te fervide diligendi.

SAPIENTIA: Certissime et veraciter et absque omni dubitatione in hoc sacramento contineor, Deus et homo cum corpore et anima, carne et sanguine, sicut cum prodii ex utero matris, et in cruce pependi, ac sedeo ad dexteram Patris.

DISCIPULUS: Ne, quaeso, indigneris, Domine mi, si loquar. Non enim ex radice infidelitatis sed ex admiratione immensa haec mea sententia procedit. Valde namque mirabile videtur, si fas est dicere, qualiter corpus Domini mei formosum, cum suis debitis dimensionibus et omnimoda perfectione contineri

---

(1) Gen. 44, 18.

possit sub formis minutis specierum sacramentalium, sibi improportionaliter incommensuratorum.

SAPIENTIA: Qualiter corpus meum in sacramento contineatur, nulla lingua valet explicare, neque sensus aliquis percipere, nec ratio humana valet hoc apprehendere, sed sola fide convenit hoc scire. Hoc enim solius divinae virtutis operatio est immensa; et ideo fideliter hoc tibi credendum est, et cavendum a praesumptuosa perscrutatione. Verumtamen devotae simplicitati tuae prodesse cupiens, ad excitandum fervorem tuum, magis quam ad rei soli Deo cognitae manifestationem, verbis tuis simplicibus respondebo, viam sumens ex notis secundum se, tibi autem ignotis, ad ea, quae notitiam omnium mortalium excedunt. Dic igitur mihi tu, qui perspectivae scientiae ignarus es, qualiter modica pupilla totum hemisphaerium caeli in se claudere possit, vel quonam modo speculum fractum in qualibet parte sui imaginem perfectam recipere possit, cum tamen haec sint inaequalia et improportionata. Et licet in hoc exemplo simplici maior sit dissimilitudo quam similitudo, sicut et quaelibet res naturalis maiorem importat in proposito dissimilitudinem quam similitudinem: nihilominus tamen ex his non incongrue accipi potest hoc videlicet, quod, si natura potest tot miranda in sua operatione, quare virtus auctoris naturae non se extendat ad longe maiora in sua operatione? Item, si possibile videtur, quod conditor orbis dixit et facta sunt universa ex nihilo, quare tam impossibilis videtur haec transmutatio? Et sive maior sit actus iste transubstantiationis creatione, sive minor sive aequalis, non inconsonum tamen rationi est credere, quod hic, qui mundum ex nihilo producere potuit, virtutem suam nequaquam ad hunc solum actum limitaverit. Sed sicut omnia, quaecunque

voluit, fecit, sic non erit impossibile apud Deum omne verbum, sed ei subest, cum voluerit, posse (1). Unde ergo miraris unum, reliquum vero non miraris? Praeterea si credis, quod divina Sapientia de quinque panibus quinque milia hominum pavit: quaero, qualis fuerit materia, quae omnipotentiae suae tunc subserviebat?

DISCIPULUS: Ad haec respondere ex simplicitate mea nescio, nisi quod mirabilia opera Dei esse exclamo.

SAPIENTIA: Sed et hanc quoque interrogationem simplicitati tuae congruentem subinferam. Dic, si credis te animam habere, vel aliqua entia invisibilia esse.

DISCIPULUS: Ego non credo me animam habere, sed scio, cum huius rei cognitionem ex motu et sensu habeam et ceteris secundum traditionem sapientis huius mundi de anima diffinitivam. Item ratio dictat multa entia in rerum natura exsistere, quae nulli sensui subesse poterunt; et fortassis plura operum Dei sunt invisa quam ea, quae sensus comprehendere potest: quod ex ordine universi optime dispositi diligens inquisitor faciliter invenire potest.

SAPIENTIA: Ex praemissis collige ad tuum propositum, quod videlicet longe plus intellectus cuiuslibet beati excedit intellectum cuiuscunque sapientis, quam intellectus sapientis intellectum alicuius idiotae; et tamen experientia docet, quod multi illitterati pro impossibili habent ea, de quibus periti habent demonstrationem certissimam, sicut patet praecipue in geometria et astrologia. Sic in proposito, licet cognitionem viatorum haec materia transcendat, qui et

(1) Sap. 12, 18.

circa manifestissima naturae intellectum caecutientem habere noscuntur: tamen hi, qui scientia beatorum perfruuntur, haec in Deo perfecte intuentur. Audi de hoc concionatorem ecclesiae dicentem! *Est*, inquit, *homo, qui diebus ac noctibus somnum oculis non capit; et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum, quae fiunt sub sole. Quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniet. Etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire* (1). En quidam philosophus gentium pulcherrimum tibi de hoc protulit documentum! Cum enim numerum motorum orbium sagacissime perquireret, et quaerendo deficeret, sic dicebat: Fortioribus haec relinquamus! Quot putas hi, qui sunt naturae profundissimi scrutatores, ratiocinationum subtilissimi venatores, et complexionum syllogisticarum acutissimi argumentatores, veritates scientificis deductionibus se habere in veritate gaudeant? Utique paucas. Nam et hoc sufficienter probat opinionum pluralitas, rationum contrarietas circa eandem conclusionem: quae tamen interdum adeo communis et accommoda est, ut per sua accidentia sensui subiaceat, ita ut videatur et sentiatur, quia est. Quodsi haec ita se habent in his, quae a natura sunt et quae in prospectu habentur: ea, quae in caelis sunt, et quae videri non possunt, sed omnem naturam excedunt, quis investigabit? *Si terrena dixi vobis*, ait Dei Sapientia, *et non creditis: quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?* (2). Tales dubitationes et conceptiones erroneae de his, quae sunt fidei, interdum surgunt ex hoc, quod homo imaginatur et iudicat de divinis esse sicut de humanis, et de supernaturalibus similiter sicut de natura constantibus. Sic autem non est faciendum, maximeque in

(1) Eccle. 8, 16-17. (2) Ioan. 3, 12.

proposito cavendum. Corpus namque Dominicum non est eo modo in sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed est ibi quodam speciali modo. Et si quaeris, qualis sit iste modus: dico, quod est talis, qui est proprius huic sacramento. Ad quem sciendum imaginatio tua pertingere non potest. Unde et intellectus tuus tamquam caecutiens redigendus est *in captivitatem in obsequium Christi* (1), et prae oculis habendum, quantum virtus infinita potest, cui omnis materia oboedit ad nutum. Sed *et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt* (2), licet homo haec videre non possit, ex defectu potentiae visivae oculi intellectualis. Exemplum commune satis de hoc habes de puero in carcere nato et diu nutrito, qui pro mirabili haberet, si quis ei de cursu siderum et dispositione orbis multa narrare vellet. Proinde necessario valde divina Sapientia ignorantiae humanae condescendens, praedicta tamquam facultatem humanam excedentia hominibus tradidit credenda: cui tamquam veritati infallibili adhaerentes, solido fideles innituntur fundamento, maiorem inde certitudinem habentes, quam si intellectui cuicunque sive proprio vel alieno in re scita et proportionata inniterentur.

DISCIPULUS: Evidentissimis utique persuasionibus fidem mihi huius sacramenti astruis, et admirationes noxias timidasque cogitationes animum infirmum impulsantes tollis. Ex his namque perpendo, quod stultus est intellectus quaerens impossibilia et perscrutari cupiens imperscrutabilia, qui opera Dei solius magnalia scire contendit, et tamen in cognitione operationum naturae deficit. Quid amplius necesse est mihi scire vel investigare? Scio et firmis-

(1) 2 Cor. 10, 5. (2) Rom. 4, 17.

sime credo, quia tu es summa et infinita potentia, quae omnia potes: summa et aeterna Sapientia, qui omnia scis et vides: simplicissima et immutabilis veritas, quae mentiri et fallere non potes. Et ideo finis fidei meae, ancora spei meae, tu es nunc et in aeternum, sciens, quia beatus homo, qui sperat in te. Quamobrem gaudete nunc viscera mea, quia, quod quaesivi, inveni, quod volui, obtinui, quod diu desideravi, nunc impetravi. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* (1).

Iesum quaesisti, et Iesum invenisti. Abesse dilectum tuum saepius hucusque causabaris, et cum quemlibet laetari de dilecti praesentia videbas, invidebas ac ingemiscebas eo, quod illum, quem tu diligebas, minime praesentem inveniebas. Dicebasque: O dilecti mei subtractio crudelis, cuius me sola pascit memoria! Litteras scribit, nuntios mittit; suam vero praesentiam subtrahit, et oculo quodam invisibili omnibus communi me respicit. Sed proh dolor, hoc amanti non sufficit. *In lectulo meo per noctes ipsum quaero nec invenio* (2). In mensa circumspicio nec ipsum video. In lateribus domus meae vitem abundantem (3) habere concupisco, et defraudor. Sic, inquam, dilectum habens, dilecto careo, quia praesentem mihi non invenio. Nubes eum de medio tulit; ad dexteram Patris consedit. *Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat* (4).

O, utinam talis esset mihi dilectus, qui mihi etsi non semper, saltem frequenter adesset et conviveret, de cuius praesentia possem gaudere, et interdum de tribulationibus meis consolationem recipere. Sed nunc insperata mihi salus oriri visa est, et vox moeroris mutata est in vocem iucunditatis, et affectus

---

(1) Psal. 41, 6.
(2) Cant. 3, 1.
(3) Psal. 127, 3.
(4) Iob 22, 14.

quaerentis in affectum transiit gratulantis. Nam, quem plangebam abesse, nunc reperi adesse; et, quem longe esse credidi, nunc iuxta me esse inveni. Et ideo congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia inveni dilectum meum, non solum secundum divinitatem omnibus praesidentem, sed et secundum humanitatem sacramentaliter praesentem. Inveni non quo aberat, sed ubi prius mihi non tam clare apparebat. Inveni, non ubi prius non fuit, sed quia me de sua praesentia novo quodam doctrinae radio illustravit. Occulta revelavit, absconsa in lucem produxit; et, quae prius sciebam tradente littera, nunc instruxit spirituali quadam et vivifica gratia. Mirum est, quod de cetero ab Ecclesia avelli potero, et quod non ibi die noctuque remaneo, ubi Dominum meum praesentem habeo, non solum spiritualiter, sed et corporaliter, non solum ut Deum, sed ut fratrem et amicum meum dilectum.

O quam gratus quandoque fuissem, si vel unicam guttam tam pretiosi sanguinis de dilecti mei apertis vulneribus in os meum recipere meruissem! Felicem me reputassem, si de eius pectore tam pretiosissimi liquoris stillicidium sumere potuissem. Nunc autem diligentissima consideratione incipio advertere, quod non solum unam guttam vel duas de manibus vel pedibus seu de pectore profluentibus recepi, quinimmo totum sanguinem ipsius sumpsi, et corpus eius corpori meo sociatum est. O gaudium et exsultatio cordis mei immensa de tam ineffabili gratia mihi praestita a dilecto! Nonne istud est maximum et praecipuum donum et dignis laudibus extollendum, ad quod neque angelica natura audeat aspirare? Atque ideo utinam omnes artus mei, et tota virtus mea, et omnia interiora mea in laudem tuam resolverentur, ut amori tuo pro posse meo respondere possem!

Tua praesentia meum vehementer accendit amo-

rem; sed maiestas incutit timorem. Ratio consulit tantum hospitem revereri; amor cogit tam dilectum sponsum affectuose amplecti. Tu quidem es Deus meus et Dominus meus, sed et frater meus, et, si dicere audeo, dilectus sponsus meus! En, quanta bona in te uno solo simplicissimo bono possideo! Non enim in te habeo hoc vel illud particulare bonum, sed summum bonum, in quo omnia bona tamquam in suo fontali principio continentur. O quam digne praesentia huius boni affectum debet movere! Et licet manifeste, prout in patria, hic videri in sacramento non possit, fervidus tamen affectus fidei fundamento innixus, in Deo tantum solidatus esse deberet, ut huius sacramenti praesentia in corde suo omnem terrenum affectum superaret.

Bene itaque appellatur sacramentum hoc sacramentum amoris. Quid enim magis est amoris, quid dilectionis, quam coniunctio dilecti cum dilecto familiaris? Nunc anima mea consolare, quia, quod quaesisti, invenisti. Suscipe Christum praesentialiter et veraciter, quemadmodum Simeon ille iustus et timoratus ipsum praesentialiter suscepit. Nam diu in oratione hoc optasti; et ultra votum nunc, quod voluisti, obtinuisti. Licet enim Simeon ipsum visibiliter susceperit, tu autem invisibiliter, non tamen minus veraciter ipsum suscepisti. Denique sicut oculus meus corporeus nunc in sacramento non potest videre tuam humanitatem praesentem: sic nec praedictus Simeon te in ulnis portans videre poterat tuam divinitatem, nisi oculis fidei, sicut et ego nunc te praesentem video. Sed quid mihi de visu corporeo, cum beati dicantur oculi, non, qui vident secundum carnem sicut scribae et pharisaei, sed spiritualiter sicut electi discipuli? Quid ergo vis amplius, o anima, scire de tuo dilecto? Quid amplius requiris? Quid desideras? Certissime et absque omni dubitatione

ipsum in sacramento habes praesentialiter, licet invisibiliter.

Sed attende divinam ordinationem! Nonne multo convenientius sub aliena specie quam sub propria forma hoc agitur mysterium? Quis enim tantae posset esse ferocitatis, ut ipsum praesumeret sub forma carnis et sanguinis masticare? Unde divina Sapientia optime disponens omnia providit, ut carne et sanguine remanente sub specie panis et vini, quae communiter humanae refectioni deserviunt, hoc sacramentum sumatur. Quid aptius? Quid levius? Quid decentius poterat inveniri, quod et nobis congrueret et veritatem non desereret? Cum haec et similia opera tua magnalia et mirabilia tam peroptime disposita considero, o aeterna Sapientia, prae stupore deficio, exclamans in memetipso: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei* (1), qualis es in ipsa tua essentia, qui talis es ac tantus in rerum creatarum effluentia tam virtuosa! Nunc igitur rex meus et Deus meus, qui me non meis meritis ad officium sacerdotale dignatus es eligere et ministrum facere tantorum mysteriorum, ut possim te cotidie agnum immaculatum sumere et offerre: peto, ut doceas qualiter te digne valeam suscipere, ita ut sit ad gloriam tuam et salutem animae meae. Hoc sciens pro certo, quod nullus unquam rex tam magnus vel gloriosus tam honorifice et reverenter fuit ab aliqua susceptus civitate, nec aliquis carissimus amicus de via longinqua veniens tam laetanter et affectuose salutatus, nec sponsus dilectus a fideli sponsa tam gratanter et amorose receptus et reverenter tractatus, sicut anima mea te meum gratissimum imperatorem, dulcissimum amicum et hospitem, dilectissimum sponsum et amatorem hodie desiderat reci-

(1) Rom. 11, 33.

pere et introducere in domum suam et in cubiculum cordis mei secretissimum, ibique tibi omnem exhibere reverentiam et impendere amorem ac deferre honorem a pura creatura creatori possibilem.

SAPIENTIA: Cum ad reverendum altare ascendis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fidei oculis respice, sic videlicet ut certissime et sine omni haesitatione, toto corde credas et ore confitearis, quod illa hostia consecrata sit verus Dei Filius, ex Virgine natus, qui mortuus est et resurrexit, iudex vivorum et mortuorum: ut sis de numero illorum, qui sunt veri Iudaei, *non littera, sed Spiritu* (1), non secundum carnem, sed secundum promissionem; indutus confessione (2) cordis et oris sicut vestimento, ut omnia interiora tua eum esse Dominum confiteantur, et omnia ossa tua idipsum proclament. Deinde cum reverentia debita et honore praecipuo occurrens Deo tuo, devotione quadam humili mirare, quod tantus Dominus ad tantillum servum, et tanta nobilitas ad miserum vermiculum, et maiestas tanta ad vilem leprosum dignatur venire; et dic cum metu et reverentia: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed confisus de tanta pietate et clementia, accedo infirmus ad medicum vitae, sitiens ad fontem misericordiae, egenus ad Dominum caeli et terrae, ovis ad pastorem, figmentum ad suum creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem ac liberatorem.

Postea ardentissimo desiderio, manu cordis, haustu interiori, tam praeclarum suscipe sponsum, eius praesentia dulcissima delectatus. Et hoc est, quod super omnia deberet movere animum amorosum, cum scilicet cogitat se praesentem habere ipsum

(1) 2 Cor. 3, 6. (2) Psal. 103, 1.

suum dilectum, suum amicum, pro cuius amore huic mundo cotidie moritur et omnem terrenum amorem exsecratur. En huius mundi stulti amatores, quacunque die solummodo viderint domum, ubi dilectum esse meminerint, tota die illa amplius gaudent et laetiores redduntur! Perpende ergo ex hoc, quam digne gaudebit et vehementer exsultabit, qui non creaturam vilem, sed omnium creatorem, non stercus involutum, sed Dei Sapientiam humanatam recipit, sub hac visibili forma. Mirum, quod animus amorosus die illa, qua dilectum creatorem suum sumpserit, pro aliqua re temporali poterit contristari, quia absque dubio tam immensam pro tunc apud se materiam habet gaudiorum, quod merito omnem eventum contristabilem absorbere et annihilare deberet, sicut oceanus guttam in se receptam aceti.

Demum si sacramenti huius saporem tibi inexpertum experiri desideras, cura animam tuam prius abstrahere a negotiis saecularibus, a vitiis et carnalitatibus, ut eius sumptionem praecedat profunda contritio et pura confessio. Itemque actualis devotio te potius trahat quam indulta consuetudo. Ardentissimis affectionibus et sanctissimis meditationibus tamquam rosis rubescentibus et liliis albescentibus hospitiolum cordis tui ei adorna, et thalamum tanto sponso per veram cordis pacem praepara! Et cum praesentem senseris, inter cordis brachia ipsum reclina, per exclusionem omnis terreni amoris et inclusionem sponsi caelestis! Deinde devota anima me audire faciat vocem suam, cantando mihi de canticis Sion. Cuius melodia ex triplici proportione composita suavissimum reddit sonum, videlicet ex perfecta oblivione terrenorum, fervido affectu aeternorum, et laudis quadam inchoatione spirituum beatorum. Felix, qui haec gustu interno percipere meruit, qui haec per veram experientiam magis quam per verba

vel scripta cognovit! In hac felici unione si concessa fuerit desuper ineffabilis pausatio, raptica quaedam contemplatio et inusitata fruitio illius summi et veri praesentis boni, quae animam sursum trahat et ad puram contemplationem dilecti paulisper transmigrare faciat: gratias referat bonorum omnium largitori; nec se verbis effundat, sed secretum secretum teneat sciens, quia *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus*, sed stultitia illi videtur (1). Neque alienus vescetur ex eo (2). Sed cum profundo cordis gemitu in hanc vocem erumpat et dicat: *Vere tu es Deus absconditus* (3); et *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* terrestris *ascendit* (4), non solum, quae Deus electis suis in futuro reservavit, sed nec ea, quae in hac vita suis amatoribus dare consuevit.

DISCIPULUS: O mira et stupenda cordis mei caecitas et duritia ingemiscenda! In abundantia namque maxima spiritualium divitiarum tam longo tempore pauperrimus exstiti; in copia tantarum deliciarum miser fui; in redundantia gratiarum aridus remansi! Miser ego, Tantalus alter ego. Rubescentes rosas delectabiles de rosario tuli, nec earum suavem percepi odorem. Flores vernantes manu gestabam, et pulchritudinem eorum non advertebam. Oculos apertos habui, et ex ignavia ad tot mirabilia non respexi. Stillicidia caelestia recepi nec sensi. Ad mensam deliciosissimam cotidie invitatus fui, et vacuus ac macie confectus inde recessi. O mi Deus, tibi conqueror cum intimo gemitu cordis mei, quod tam diu longe a te aberam, et tu mihi tam prope fuisti. Tu mecum eras et ego tecum non eram, quia me curis

---

(1) 1 Cor. 2, 14.
(2) Lev. 22, 10.
(3) Is. 45, 15.
(4) 1 Cor. 2, 9.

dulcissimus praesens fuisti, negligenter et festinanter praeterii, quod neque vocem quidem devotae salutationis cor meum tibi, meo amabili, cum affectuosa inclinatione exhibuit.

Propterea nempe, quia tu, Deus meus et Dominus meus, amor meus es cordisque mei thesaurus pretiosissimus: ideo tuae praesentiae debuit cor aggaudere, animus applaudere, oculi laetanter arridere, os iubilare, labia te benedicere et glorificare, et singula quaeque membra et artus, tui ostendere signa amoris. Quis enim *ignem in sinu suo* potest tenere, ut non comburatur (1), et amorem ignitum praesente amabili abscondere, ut non prodatur? Velit nolit proditur lumine ille suo. Vide ergo, quam negligens amator tu es; atque ideo non amator, quia negligens. Intensus namque amator negligens esse non potest. Operatur enim magna, si est; si autem non operatur, amator non est. Quod fecit ille tuus symphonides, homo secundum cor tuum, qui nudatus velut unus de scurris, cum organis armigatis, totis viribus saltavit coram arca (2): in qua solum fuerunt res corporales *umbram futurorum* habentes (3), quae nunc veritate detecta ad lucem prodierunt. Nam hoc sacramentum continet manna, non quidem hoc, quod manducaverunt hi, qui in deserto mortui sunt, sed panem caelestem, quem qui manducaverit, vivet in aeternum.

Et ideo *nemo mihi de cetero molestus sit* (4), si haec magnalia opera mirifice extollo; quia, si cuncta corporis mei membra innumerositate arenam maris excedentia, essent organa dulcisona, et omnes potentiae meae essent voces iubilosae: his omnibus te laudare cuperem totis viribus meis, conditor orbis.

---

(1) Prov. 6, 27.
(2) 2 Reg. 6, 14.
(3) Hebr. 10, 1.
(4) Gal. 6, 17.

Flens insuper ac dolens, quod hucusque ad hoc caeleste mysterium intellectum habui tam excaecatum et affectum induratum, eo, quod nimis superficialiter transivi nec ponderanda ponderavi, et me ad tantam gratiam non melius habilitavi. Sed nunc expansis in modum crucis manibus et erectis in caelum luminibus, precor veniam de omissis. In tenebris namque desidiosae inconsiderationis fui usque adhuc. Nunc autem lumen sapientiae tenebras propulsavit et te mihi affectu quodam ineffabili demonstravit, desidiam depulit et fidem dormitantem excitavit. Restat ergo nunc, ut, quem tua grata praesentia veluti pane vitae et intellectus cibasti, potu quoque sapientiae salutaris potando instruas, respondens tuo famulo ad quaesita. Primo igitur quaero, quid per tuam praesentiam conferas homini te devote in sacramento suscipienti.

SAPIENTIA: Quaeso, unde procedit haec interrogatio? Amator es tu, an mercenarius? Putasne hanc interrogationem idoneam esse animo amoroso? Intense amans, dummodo suum amatum habeat, non multum alia curat. Dilectum quaerit, et ideo dilectum habendo bonum utile dissimulando transit. Pro amore quaeris an pro amoris mercede? Quid melius, quid utilius, quidve pretiosius habeo memetipso? Qui habet hoc, quod noscitur amare, quid ulterius debet hic desiderare? Qui seipsum totum amico dedit, quid, quaeso, ei negavit? En in sacramento meipsum tibi tribuo, te tibi ipsi aufero, et te in meipsum converto. Non enim tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae; sed tu mutaberis in me (1). Sed fortassis nondum in amore perfectus es, non solum amorem

---

(1) S. Augustinus, *Confession.* VII, 10: Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.

sed eius aliqualem diligens mercedem. Ideo nunc tibi respondeo per interrogationem aequipollentem. Dic mihi, quid confert solis fulgor aëri, cum in tota virtute sua absque nube rutilat, et ipsum quasi perpendiculariter penetrat in tempore meridiano? Vel quid praestant micantes pliades aut lucifer radiosus caliginosae nocti? Aut certe quid decoris affert vernalis serenitas terrae hiemali glacie constrictae?

DISCIPULUS: Multum utique fructum, et magnum decorem singula haec secum afferre dubium non est.

SAPIENTIA: Magna quidem haec tibi videntur atque gloriosa, quia nota sunt et comprehensibilia. Sed revera dona spiritualia in sacramento collata, suo modo sunt multo maiora. Nam minima gratia gratum faciens, quam in sacramento devote sumens meretur recipere, magis animam in futuro spirituali irradiatione clarificabit, quam aliquis solaris radius aërem purum possit illustrare, cum spiritualia incomparabiliter excedant corporalia. Tacitis nihilominus divinis et occultis quibusdam illuminationibus, quibus anima interdum etiam in hac vita aerumnosa meretur perfundi in tantum, ut sibi putet abyssum claritatis aperiri: quae tamen a nullo sensu comprehendi possunt, sed a solis recipientibus cognoscuntur. Item talis gratia maioris illuminationis in futuro seminarium exsistit, quam si omnia sidera caelestia in vicino terrae posita essent (1), et hunc mundum tota virtute sua illuminarent. Item talis gratia fideliter reservata, maiorem praestabit animae in futuro venustatem et pulchritudinem spiritualem, quam aliqua aestas cunctis terrae germinantibus corporalem praestare potuerit unquam decorem.

---

(1) *Caesar. Dial.* X, 44.

Et, si vis haec omnia certius nosse, diligenter perpende conditiones huius sacramenti! Nonne divinitatis radius in hoc sacramento velatus, in patria autem clarus et manifestus, praestantior est ad clarificandam animam sibi hic per gratiam unitam, in futuro autem per gloriam, quam sol iste visibilis ad illuminandum totum aëris hemisphaerium? Nam ipse solus est, qui illabitur essentiae, et spiritus beatos seipso replet, ut unus iam cum eo spiritus fiant. O quanta erit gloria, quam immensa claritas, cum anima tota extra se posita, tota in Deum transformabitur! Item corpus meum glorificatum, hic fideliter cum gratia sacramenti sumptum, nonne totam caelestem curiam et quamlibet electam animam maiori venustate valet decorare, quam cursus siderum et varietas temporum terram hanc corporaliter possint adornare? Item anima mea nobilissima et verbo vicinissime unita, in hoc sacramento contenta, nonne maioris est luminositatis suo modo formaliter et effective, quam sint omnia astra matutina et sidera vespertina? Et haec omnia fideli animae ex sacramenti huius debita perceptione in futuro largientur, exceptis aliis gratiis et utilitatibus cotidianis, magnis et innumeris, quae et saepius replicantur.

DISCIPULUS: Stupeo, cum audio tot insignia de hoc glorioso sacramento mirabilia. Sed precor, ne spernas unam, quam propono, dubitationem. Ex quo tu, omnipotens Deus, hoc venerabile sacramentum tam innumeris et gloriosis effectibus spiritualibus dignatus es decorare, non solum in futuro, sed et in praesenti: quaeso, quare hoc totum sic est occultum et absconditum, ut paene a nullo percipiatur, nec eius virtus, si audeo dicere, credentibus satis apparere videatur? Quid circa alios agatur, nescio, cum non sim explorator conscientiae alienae. Hoc unum in me

aliquoties expertus sum, quod, cum ad sacrosanctum corpus et sanguinem Dominicum accedere volui, a quo tanta bona procedere audivi, in tanta cordis duritia et mentis quadam hebetudine me inveni accedentem et recedentem, quod omnium spiritualium illuminationum et divinorum charismatum de hoc sacramento procedentium, prout advertere potui, tam expers remansi, quod nec in aliquo suavem eius gustum in me sentire potui, sed sic sine fructu remansi, acsi penitus nullum effectum ipsum sacramentum in se haberet. O magnum consilium altissimi! O, si auderet famulus insipiens et stultus reprehendere Dominum sapientissimum et irreprehensibilem, omnia peroptime disponentem! Quare, quaeso, tanta et tam immensa bona sic occultasti? Nonne melius esset, ut evidentioribus indiciis et manifestioribus experimentis fidem tantorum instaurasses mysteriorum?

SAPIENTIA: An ignoras, quia *per fidem ambulas et non per speciem* (1)? Sed, quod sensus indicat, experientia probat, fides qualiter potest recipere? Quinimmo necesse est fidem deficere, ubi demonstratio cognoscitur locum habere; et per consequens meritum fidei peribit praeclarum. Si ergo vis sacramenti huius mysterium experientiae committere, ne esse erit fidem et fidei merita de medio tollere. Et quid, si electus aliquis cogitationes timidas praetervolantes sentit, nec tamen consentit? Utique coronabitur, si legitime certaverit. Aperi, quaeso, librum cordis tui et vide, quam evidentissima cognitione huius sacramenti mysterium datur cognosci quorundam cordibus.

Equidem, etsi non semper, quandoque tamen ex gratia et privilegio speciali datur quodammodo inef-

---

(1) 2 Cor. 5, 7.

fabiliter percipi veritas huius sacramenti, ita ut, si possibile sit esse aliquam scientiam maiorem et certiorem scientia fidei, per hanc datur sciri et cognosci huius inaestimabilis sacramenti verissima exsistentia, ut pro tunc fides quodammodo actualiter cessare videatur, et res putetur transisse in veram perfectamque cognitionem. Hoc quidem dixerim non secundum communem cursum, cum omnium scientiarum elementa et principia haec excedat cognitio. Nec ipsis quidem carissimis haec gratia semper aderit, *Deo melius* eis per fidei principia *providente* (1); sed solum interdum, cum videlicet anima ad superna rapitur, et ad caelestia mysteria cognoscenda elevatur, prout tunc divina gratia haec vel his similia dignatur manifestare, quae *revelat occulta de tenebris* (2), et aenigmaticas ac sensibiles interdum dat supergredi manifestationes, et ad invisibilia et *arcana secretorum* (3) Dei extollit.

A quibus tamen cum avulsus fuerit, rursus redibit ad consueta fidei documenta, priorum paene ignarus. Igitur ex his patenter collige, quod hoc sacramentum non ideo minus verum est, quia spiritualis eius effectus invisibilis vel sensibiliter imperceptibilis est. Nam praesentia divina ibidem exsistens lux est, non quidem talis, quae ab oculo corporeo videri possit vel quae se ad exteriora diffundit, sed quae a solo intellectu divino vel saltem ab ipso beatificato videri possit, et quae in suiipsius essentia lux essentialiter exsistit. Nam et substantiae spirituales, quanto fuerint nobiliores, tanto simpliciores. Minima nempe quantitate, sunt maxima virtute.

DISCIPULUS: O quam pauci sunt in hoc mundo, qui diligenti sollicitudine curent ponderare sacra-

---

(1) Hebr. 11, 40. (2) Iob 12, 22. (3) Is. 45, 3.

menti huius pretiosissimam virtutem et utilitatem! Accedunt quidem arida quadam ducti consuetudine, morem communitatis sectantes: festinantes, non ut accedant, sed ut recedant: festinantes non ex affectu devotionis, sed ex defectu divini fervoris; et ideo sicut vacui accedunt, sic et inanes ac sine gratia recedunt. Et hi sunt sicut animalia non ruminantia, quae in lege tamquam immunda reiciebantur (1). Non enim studiose recogitant neque pertractant, quem recipiant, vel quanta bona seu mala hinc inde sequantur bene vel male recipientes. Sed, etsi superficialiter fortassis et quasi perfunctorie hoc eorum memoriae occurrerit, statim velut parva scintilla in frigido pectore exstinguitur, et ultra non comparet.

SAPIENTIA: Tria sunt genera hominum sacramentaliter me recipientium. Quidam sunt omnino indispositi, sicut illi, qui sunt criminalibus involuti. Quidam bene dispositi, sicut perfecti. Quidam medio modo se habent, sicut indevoti. Primi merentur aeternam mortem, et temporalem maledictionem. Secundi vitam aeternam, et spiritualem benedictionem. Tertii panem aridum et cibum insipidum comedentes, eius non percipiunt suavitatem.

DISCIPULUS: Quid, si homo fragilis peccata aliqua occulta fortassis commisit, sed in procinctu accedendi de peccatis conteritur, et facit secundum statuta Ecclesiae hoc, quod potest, numquid audebit de tua gratia homo hic peccator accedere?

SAPIENTIA: Si vere conteritur, et consilio spiritualium utitur medicorum, iam proprie loquendo peccator non est. Maria Magdalena dum corde compuncta ad pedes Domini accessit, et lacrimis eos riga-

(1) Lev. 11, 26.

vit, nomen quidem peccatricis habuit, peccatrix tamen amplius non fuit, quia ei Christus peccata dimisit.

DISCIPULUS: *Unusquisque in sensu suo abundet* (1). Ego autem in proposito vere existimo, quod huius sacramenti divina mysteria omnem virtutem transcendant, et omnia mirabilia opera Dei in hoc mundo superexcellant. Quis enim vivit in hoc mundo tam pure vel innocenter, qui sit idoneus minister vel susceptor huius sacramenti? Vel quis praesumere audeat de semetipso, quem Petrus Apostolorum princeps inclitus expulit dicens: *Exi a me, quia peccator sum, Domine* (2)? Sic et ille, cuius fidem singulariter in Israël Dei Sapientia laudabat, dixit: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum* (3). Quis igitur natus de muliere, se condigne ad tanta mysteria poterit praeparare?

SAPIENTIA: Inter natos mulierum non surrexit, qui ex sola virtute et iustitia operum suorum tamquam ex condigno se sufficienter praeparare possit; etiamsi unus homo haberet naturalem omnium angelorum puritatem, et omnium comprehensorum munditiam et claritatem, omniumque viatorum merita per vitae austeritatem: ex his omnibus circumscripta divina gratia, non fieret satis idoneus ad percipienda tanta mysteria.

DISCIPULUS: O Deus aeterne, quam terribile est mihi meisque similibus peccatoribus hoc audire. Heu, heu Domine Deus, *et* si *caeli non sunt mundi in conspectu tuo* (4), et in angelis tuis reperisti pravitatem, homines quoque magnorum operum te non merentur ex iustitia sua recipere: Vae mihi, quid erit

---

(1) Rom. 14, 5.
(2) Luc. 5, 8.
(3) Matth. 8, 8.
(4) Iob 15, 15.

de nobis, qui in luto peccatorum continue volutamur, sed et velut claudus in limo, sic in ipsis nostris utcunque bonis operibus modicis fluctuantes *in duas partes claudicamus* (1): Qui parum vel nihil devotionis habemus, nec de ipsis quidem negligentiis nostris, prout oportet, compungimur? Cum quanta nobis formidine merito est accedendum, et timendum, ne forte hoc, quod deberet cedere ad veniam, cedat ad ruinam.

SAPIENTIA: Attende diligenter, quod hoc pietatis sacramentum est in remedium institutum; et ideo quandocunque homo facit hoc, quod potest, habilitando se ad gratiam, sufficit. Nec requirit Deus ab homine hoc, quod sibi viderit impossibile esse. Quandocunque igitur suscipiens facit hoc, quod potest, divina pietas supplet per gratiam hoc, ad quod pervenire sine gratia non potest. Et ideo ceteris paribus potius est accedendum ex confidentia divinae pietatis, quam ex consideratione propriae fragilitatis abstinendum, quamvis utrunque pro loco et tempore reddatur commendabile. Nonne aegrotus festinat ad medicum, et pauper divitis pulsat ad ostium? Accede, pulsa nihil haesitans! Medicus est et piissimus distributor, largissimusque remunerator. Ipse solo verbo restaurat universa. Sua praesentia curat vulnera, medetur corda. Tristitiam depellit, et cordis laetitiam tribuit.

Quis ergo tam inconsulte audeat dicere, quod hi, qui sunt spiritualiter infirmi, non debeant accedere ad eum, qui *languores* humanos *tulit, et infirmitates ipse portavit* (2)? Ecce mulier immunda accessit retro et tangens eum est sanata (3). Peccatrix, dum eius osculatur pedes, est mundata (4). Chananaea, dum se-

---

(1) 3 Reg. 18, 21.
(2) Is. 53, 4.
(3) Luc. 8, 44.
(4) Luc. 7, 37.

quitur nec destitit, exaudita est (1). Leprosi accedentes curati sunt. Caeci, daemoniaci, paralytici et cuncta naturae monstra, dum credunt et accedunt, salutem consequuntur. *Nam virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (2). Sed et publicani et peccatores, dum appropinquant ad Iesum, veniam merentur. Quinimmo convivium atque hospitium eorum non spernit, qui *non venit vocare iustos, sed peccatores* in hunc mundum (3). Unde non inconvenienter dici potest, quod, sicut adventus eius in carne fuit in salvationem peccatorum, sic et haec salutaris hostia sit fidelibus collata in remedium peccatorum. Nam et Dei Sapientia in ultima cena, in institutione huius salutiferi sacramenti sic dicebat: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur;* et *hic est calix, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* (4). Quapropter, cum feceris quod in te est, accede secure, absque trepidatione, in fide et caritate, nihil haesitans de ipsius pietate.

DISCIPULUS: O verbum gratiosum et amabile, ut et ego miser peccator, propriae conscius pravitatis, audeam accedere ad Dominum maiestatis! Sed nunc quoque obsecro, ut dicas mihi, utrum melius sit frequenter accedere vel rarius ad hoc caeleste sacramentum.

SAPIENTIA: Super hac re communem et notam egregii doctoris Augustini accipe sententiam, qui utrunque pro loco et tempore dicit esse commendabile, ut et pro reverentia interdum abstineatur, et ex devotione nihilominus accedatur. Quibus vero ex frequenti accessu reverentia sacramenti pariter

---

(1) Matth. 15, 22.
(2) Luc. 6, 19.
(3) Matth. 9, 13.
(4) 1 Cor. 11, 24.

et devotio accrescit, his frequentatio ipsius utilis erit (1).

DISCIPULUS: Sed quid de his, qui quasi semper in eodem videntur permanere affectionis confinio, non percipientes se ex hoc multum proficere, sed neque deficere notabiliter? Adhuc quoque frequenter sentiunt se duritia quadam oppressos, ita, ut eis caelum desuper aëreum et terra videatur esse ferrea (2), ex ariditate spirituali et cordis duritia. Et licet solitum numerum expleant psalmorum et orationum, et se per confessionis lavacrum expurgent, corde tamen duro et affectu remanent frigido, nec gratiae spiritualis gustum aliquem percipiunt. Sed et illud subinferam, quod satis quidem flebile et afflictivum est bonarum mentium, quae crebrius hoc conqueruntur, quod videlicet interdum in eius perceptione gratia notabilius more solito se subtrahere videatur, ita, ut quodammodo sequentem se spernere et clamantem post se fugere putetur. Hoc mihi prorsus satis videtur mirabile pariter et lamentabile.

SAPIENTIA: Multis ex causis atque modis duritia talis animam devotam affligere consuevit, ut expertorum exstat sententia. Quibus omnibus praeter-

---

(1) S. Augustinus, Epist. 54, n. 2: Rectius inter eos fortassis dirimit litem, qui monet, ut praecipue in Christi pace maneat; faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. — S. Thomas, 4, dist. 12, qu. 3, a. 1, qu. 2: Si quis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet cotidie communicare. Si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui, et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia et devotione postmodum accederet. — Gennadius, *De ecclesiast. dogmat.*, c. 53: Quotidie Eucharistiae communionem percipere nec laudo nec vitupero. (Sententia s. Augustino passim adscribitur).

(2) Deut. 28, 23.

missis, hoc solum teneas, ut quandocunque per diligentem inquisitionem te eidem causam dedisse non inveneris, sed, quod tuum erat, fecisti, si super hoc mentis duritia permissione divina emerserit, quae electos suos mille modis tribulare consuevit: non te res haec frangat, nec te notabiliter huius rei causa a salutari hoc sacramento subtrahas, sciens, quod divina pietas salutem animae saepius secretissime et fidelissime operatur, cum solo fidei subsidio anima innititur, nec aliqua dulcedine spirituali fulcitur, non minus, quam si prosperitate spiritualium charismatum affluerent, nec tamen in his se, prout oportet, caute teneret. Et ideo interdum tales gratiae utilius subtrahuntur, ut subtractae avidius repetantur, et receptae cautius conserventur, et, ut sic anima dilecta in humilitatis schola exercitetur.

Porro unum est, quod valde notabile est et quod debes attendere diligenter, scilicet, quod hic praemissus spiritualis sapor ac internus quidam gustus non est fidei debitus effectus, neque est praesentis temporis, sed est aeternae beatitudinis; et cum datur in sacramento vel extra, gratias age; cum non datur, gratias age, et patienter sustine, sciens, quia non est in potestate tua, sed summi et benignissimi largitoris, qui non, prout vis vel quando vis, sed quando sibi placuerit, dabit, prout iudicaverit esse ad suam laudem et tuam utilitatem. Notandum quoque, quod summum illud bonum est tam copiosum et infinitum, ut quantomagis percipiatur, tanto participans quodammodo capacior ipsius efficiatur. Unde et in hoc sacramento saepius contingit, quod, quanto ex timore inordinato se quivis notabilius subtraxerit, tanto de die in diem differendo maiorem indispositionem incurrit. Melius est ceteris paribus accedere ex amore, quam abstinere ex timore. Melius est singulis hebdomadis vel etiam diebus accedere cum

vera humilitate et imperfectionis propriae recognitione, quam semel in anno, propriae iustitiae ex praesumptione.

DISCIPULUS: Dic, quaeso, quae sit hora, quam principalissime debet accedens attendere, et se totum recolligere, atque ad eius gratiam praeparare (1).

SAPIENTIA: Ipsum nunc illius sanctissimae susceptionis et spiritualis masticationis, quia tunc caelum quodammodo aperitur, et Filius dilectus animae dispositae corporaliter et spiritualiter mittitur et unitur, propter quod et missa a missione paterna appellatur.

DISCIPULUS: Quid de his, qui maximo cum desiderio te in sacramento recipere concupiscunt, et tamen hoc, quod desiderant, habere non possunt? Vident ante se huius sacramenti ministrum stantem et te sumentem. Respiciunt et prae desiderio cordis brachia ad te extendunt, os animae aperiunt, te recipere cupientes; nec est, qui exaudiat, qui te porrigat et animam esurientem impleat tua praesentia desiderata. Tu scis, quod videre et non gustare multum est afflictivum amanti animae.

SAPIENTIA: Sunt, qui me in hac mensa sacramentaliter recipiunt, et tamen ieiuni recedunt. Et sunt, qui hac mensa fraudantur et tamen de plenitudine eius copiosissime inebriantur. Nam illi quidem solum sacramentum, isti autem sacramentum et eius virtutem percipiunt (2).

---

(1) S. Thomas, III, qu. 80, a. 8, ad 6: Maxima devotio requiritur in ipsa sumptione huius sacramenti, quia tunc percipitur sacramenti effectus.

(2) S. Thomas, III, qu. 80, a. 1-3; qu. 79, a. 3. — (Guigo) Gulielmus a S. Theodorico, Ep. ad fratres de monte Dei I, c. 10, n. 30: Sacramentum sine re sacramenti sumenti mors est, res vero sacramenti etiam praeter sacramentum sumenti vita aeterna est.

DISCIPULUS: Adhuc duo mihi in hac materia dubia restant, videlicet, utrum aliquid plus hic habeat, qui te corporaliter et spiritualiter manducat, vel hic, qui solum spiritualiter, idest quantum ad effectum sacramenti. Et ratio dubii est, quia nosti eum, qui dicit: Crede et manducasti (1). Item, quam diu remaneat istud reverendum sacramentum, postquam fuerit ab homine sumptum.

SAPIENTIA: Revera ampliorem materiam devotionis et gratiae habet, qui utrunque suscipit, quam qui alterum tantum, quia simul habet donantem cum dono, causam cum effectu. De secundo satis habes manifeste Patrum sententias, quod videlicet corpus Dominicum tamdiu manet, quamdiu manent species sacramentales (2).

ORATIO AD SACRAMENTUM.

Ave, sanctissimum corpus Dominicum in hoc sacramento contentum! Te confiteor labiis, te toto corde diligo, te totis visceribus concupisco. Dignare, quaeso, hodie infirmam animam te salutarem victimam et fontem omnium gratiarum recipere cupientem tam clementer et gratiose invisere, ut medelam in corpore et in anima tua ex praesentia gaudeam invenisse.

Ne respicias, Domine, ad iniquitates et negligentias meas plurimas, sed ad miserationes tuas infinitas! Tu namque es, per quem orbis terrae est creatus et

---

(1) S. Augustinus, Tract. 25 *in Io.* n. 12: Ut quid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti. — S. Thomas, III, qu. 79, a. 3, ad 1 (de communione spirituali).

(2) S. Thomas, III, qu. 76, a. 6, ad 3: Corpus Christi remanet in hoc sacramento... quousque species sacramentales manent, quibus cessantibus desinit esse Corpus Christi sub eis.

sanatus: per quem omnes herbae et cunctae res virtuosae suas sortiuntur virtutes. Tu es agnus ille immaculatus, qui hodie pro totius mundi redemptione Patri aeterno victimaris.

O manna dulcissimum, o nectar suavissimum, confer ori meo tuae salutaris praesentiae mellifluum gustum! Accende in me caritatem tuam, exstingue vitia, virtutes infunde, gratias adauge, salutem mentis et corporis tribue! Inclina, quaeso, caelos tuos et descende ad me, ut tibi coniunctus et unitus tecum pariter unus efficiar spiritus.

O venerabile sacramentum, per te, quaeso, omnes inimici mei repellantur, peccata dimittantur, et omnia mala per tuam praesentiam excludantur. Bonum propositum tribue, mores corrige et omnes actus meos in tua voluntate dispone! Intellectus per te, Iesu dulcissime, hic novo lumine illustretur, affectus inflammetur, spes roboretur, ut vita mea emendata semper proficiat in melius, et tandem conferatur exitus beatus. Amen.

Capitulum Quintum.

Qualiter aeterna Sapientia sit ex toto corde et ex tota anima iugiter omni tempore laudanda.

Obaudite me, divini fructus aquarum, *et quasi rosae plantatae super rivos aquarum fructificate! Quasi Libanus odorem suavitatis habete! Florete flores quasi lilium, date odorem et frondete in gratiarum actione; et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis! Date nomini eius magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, in canticis labiorum ac citharis, et sic dicetis in confessione:*

Opera Domini universa bona valde (1). *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis; maior est enim omni laude* (2).

DISCIPULUS: O dilecte mi, quis mihi det, ut cor languidum in tuo amore et prae desiderio te laudandi sitibundum, conceptum laudis huius ante mortem vicinam ad effectum perducere valeat, ut ignis ille in interioribus aestuans foris erumpat, et latitudinem totius orbis pertranseundo, universa corda in laude tua sursum erigat et in tuo amore vehementer accendat. O utinam cuncta suavia instrumenta musicalia, caelestes quoque harmoniae ac terrestres melodiae de corde meo sursum procederent, et condignas laudes tam dulciter personarent, ut oculis divinae maiestatis tuae gratae fierent, ac totam caelestem curiam novo quodam et ineffabili gaudio laetificarent.

Sed quid dicam? Memetipsum, Domine, tua laude indignum esse cognosco. Quamobrem precor, ut saltem ceterae creaturae nobilitate praeclarae, imperfectum meum dignentur supplere. Igitur opto et ex toto corde desidero, ut orbes planetarum ac caelum sidereum limpidissimo lumine radiosum, florifera quoque germina vernali decore conspicua pulchrisque coloribus adornata nec non et omnia ignitae caritatis desideria de cordibus te vehementissimo amore diligentium procedentia te laudent et benedicant in saecula. Ad laudis tuae solam memoriam, Domine mi, cor meum liquescit, sensus stupet, miratur ratio, verba deficiunt et in memetipsum conversus altius suspiro. Nam quoddam ineffabile desiderium, quod omnem naturae supergreditur facultatem, te summum bonum laudandi in me invenio, quod tamen

---

(1) Eccli. 39, 17-21. (2) Eccli. 43, 33.

informe relinqui sua ex impossibilitate deploro. Nam, si te intelligentiis seu intellectualibus creaturis comparare voluero, in infinitum te supergredi cunctas creaturas certissime invenio. Si bona ac dulcia, speciosa vel gratiosa considero, te super haec omnia ineffabiliter gratiosum esse, immo quod plus est, haec omnia spiritualiter et essentialiter esse verissime cognosco.

Unum est, quod dicere volo, quod ex eiusmodi occursione in me actitari sentio. Cum interdum pulchrae species et ad videndum delectabiles, habilesque ad amandum, oculis mentis vel etiam corporis nonnunquam ultro se offerunt, subito haec verba cordi meo clara voce, sed mentali, subiungunt: Eia respice et animadverte, quam formosus est ille, qui me formosam creavit. Quis ille, inquis? Certe pulcherrimus ipse. Denique meditatione curiosa caelum perambulo, circueo terram, polum arcticum intueor, perscrutor maris abyssum. Mundum hunc cum suis oblectationibus considero, nemora foliorum viriditate conspicua admiror, prata virentia ac floribus multicoloribus perornata complector. Transeo campos, montes ascendo, transilio colles, valles percurro; et cum omnia considero, et singula intueor, velut dulci quadam harmonia, haec omnia concentu parili cor meum accendunt in laudem creatoris.

Cum autem speculatione quieta diligenter considero, quam pulcherrime et optime, o tu divina Sapientia, cuncta creata, bona pariter et mala, iusta et iniusta, ordinas, ita, ut in tuo universo nihil inordinatum relinquas, qui facturam tuam in sua operatione taliter disponis, ut eius ex sagacitate opus naturae censeatur quodammodo opus intelligentiae; qui certis legibus cuncta vallasti et terminos singulis imposuisti; qui cum magna reverentia disponis nos: vehementer exsultare incipio, et voce gratulabunda

prorumpere cogor in haec verba: Opera Domini universa bona valde. Porro, cum haec omnia supergredi incipio, et te summum bonum, increatam et aeternam Sapientiam prae cunctis electam cordis mei unicam esse sponsam et amicam recogito: prae stupore et exstasi ultra spiritum non habeo, sed totus in me deficiens, in te vehementer exsulto. Eia ergo, Domine mi, respice nunc praecipuum cordis mei affectum, et doce me laudare te, et glorificare nomen tuum gloriosum, quia hoc est, quod prae cunctis mundi huius gaudiis appeto et requiro.

SAPIENTIA: Numquidne amorosus sapientiae discipulus laudare cupit suam amicam aeternam Sapientiam?

DISCIPULUS: O Deus aeterne, ut quid affligis gratis animum te diligentis? Quid quaeris de cognitis? Ut quid protrahis animum angustiantis? Domine, tu omnia nosti. Tu scis, quia hoc ex intimo corde a pueritia mea semper desideravi et votis omnibus exquisivi.

SAPIENTIA: An ignoras dictum propheticum, quoniam videlicet *rectos decet collaudatio*, et quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (1)?

DISCIPULUS: Utique, Domine. Et ideo vae mihi, quia, *quid dicam*, non habeo. *Aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* (2). *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me* (3). Sed numquid ideo te non laudabo, quia immundum me esse cognosco? Nonne et vermes et ranae immundae, ex putredine generatae, coaxitantes in paludibus, te suum creatorem laudare cupiunt prout sciunt et possunt?

---

(1) Psal. 32, 1; Eccli. 15, 9.
(2) Is. 38, 15.
(3) Iob 9, 20.

Nam, etsi velut alaudula et philomela dulciter cantare nesciunt, sed neque velut homo rationalis te cognoscere possunt, saltem hoc faciunt, quod te cognoscentibus materiam tribuunt tuae laudis. O Pater misericordiarum, scio et vere cognosco, quod me miserum peccatorem magis deceret coram te iacere prostratum et cum fletu ac gemitu peccatorum veniam flagitare, quam te ore polluto laudare. Sed tamen de tua piissima bonitate ac ingenita dulcedine omnibusque mortalibus promulgata virtute confisus, te laudare cupio ex intimis praecordiis, obsecrans viscera miserationum tuarum, ut me vermem immundum, canem mortuum et cadaver putridum non despicias, Domine Deus meus. Nempe virtutes caelorum te condigne laudare nequeunt: quanto minus homo fragilis, putredo et vermis. Bonorum quidem meorum non indiges; sed tuam superexcellentem bonitatem tanto magis nobis manifestam facis, quanto infirmitatibus nostris magis miserando condescendis, et gratiam gratis ex sola liberalitate largiris.

SAPIENTIA: Umbram nititur apprehendere et sequitur ventum, qui se ex condigno laudare me aestimat. Impossibilia attentat, qui me ad plenum laudare laborat. Nec tamen ideo a laude cessandum est, sed tibi pariterque omnibus creaturis laudare convenit suum creatorem, quia nulla creatura est, quae opificem suum non laudet, vel saltem laudabilem reddat. Pensandum quoque est, quod in auribus divinae maiestatis dulcius sonat meditatio sancta quam verba sonora sine sensu prolata, et gemitus cordis quam clamor solius oris, et humilitas sincera quam vox fracta. Et, ut melius, quod dixi, vivo intelligas sub exemplo, attende in me et vide, quod licet tota vita mea in terris fuerit ad gloriam summi Patris, excellentius tamen quodammodo in me clarificatus

fuit, cum ipsum in cruce confitendo et genus humanum redimendo dolores mortis ex oboedientia sustinui. Sunt nonnulli, qui verbis declamatoriis me laudant, factis vero displicibilibus irritant; labiis me honorant, cor autem eorum longe est a me. Et sunt nonnulli, qui prosperis successibus Deum laudant, in adversis autem eventibus impatientiam exaggerant: quorum laus Deo grata non est, quia pura non est. Gratissima autem et acceptabilis apud Deum laus est eorum, qui in adversis sicut in prosperis ex toto corde suo omni tempore Deum confitentur et multipliciter flagellati et afflicti gratias agunt.

DISCIPULUS: Loquatur, quaeso, servus tuus ad cor Domini sui verbum. Vere fateor me in praedictis hucusque minus habuisse magisque confessionem laudis tuae in prosperis quam in adversis extulisse. Sed nunc me totum in holocaustum voluntati tuae offero, animum habens promptum ad haec, ut, si quaevis mala seu adversa mihi evenirent, te ex hoc non minus vellem laudare, quin potius in omnibus gratias agere atque universa haec patienter propter te sustinere. Item, si pro gloria tua esset magis mors mea quam vita, utique vitam iuventute adhuc gratam morti libens vellem exponere; et reliquos annos, quibus vivere poteram, si morte praeventus non fuissem, taliter Domino meo cuperem offerre. Optarem namque ex intimis praecordiis meis, ut, si *iuventus celerius consummata* (1) annositatem Mathusalem coaequasset, quod unusquisque annus tam longaevi temporis praedicti et unusquisque mensis annorum eorundem et unaquaeque hebdomada horum mensium et quilibet dies hebdomadarum et quaelibet hora dierum illorum ac quodlibet minutum horarum

(1) Sap. 4, 16.

praedicti temporis te ex persona mea collaudarent, tam devote et affectuose, quantum unquam aliquis de numero beatorum spirituum in splendoribus sanctorum te laudare in tanta duratione potuisset, acsi haec omnia in persona propria complevissem: Et quod huius laudis frequens innovatio sua infinitate omnes excederet species numerorum.

Adhuc quoque, si, quod absit, voluntatis tuae beneplacitum et laudis praeconium in hoc consisteret, quod anima a corpore exuta aut ignem purgatorii aut certe inferni supplicium in poenam suorum criminum recipere deberet: nihil de laude Domini mei vellem diminuere, sed prompto animo vellem, si tamen possem, omnium negligentias supplere hominum, et omnem irreverentiam a saeculo tibi exhibitam emendare. Sed et supposito per impossibile, quod in inferno, ubi tuae laudis nulla est confessio, anima mea hoc modo, videlicet ex caritate te laudare cupiens, iam esset posita: utique de profundissimis inferorum tenebris in vocem tuae laudis tam efficaciter vellem erumpere, ut vox altisona totum inferorum terminum ac machinam mundialem, aëris quoque ac caelorum altitudinem penetraret, et perveniret usque ad solium gloriae tuae excelsum. Quid plura? Fac de me hoc, quod tibi placuerit; quia, quam diu est halitus in naribus meis, a tuae laudis praeconio non cessabo.

Sed et, cum virtus loquendi mortis hora defecerit, et meum Iesum amplius prae debilitate proferre non valebo: peto, ut saltem nutus oculorum vel extensio digitorum sit innovatio et confirmatio omnium desiderabilium affectuum et verborum atque operum praeteritorum et futurorum, quae usque ad extremam iudicii diem tibi cum devoto famulatu offerre vellem, si tamdiu vivere possem. Insuper, dilecte mi, haec adicio, desiderans corde affectuoso,

ut quando corpus meum fuerit in pulveres minutissimos redactum et lapide clausum, quod de qualibet pulveris particula minutissima vox amoena laudis et gloriae tuae exsurgat, quae durissimum lapidem penetrans caelorum altitudinem transcendat et usque ad extremam iudicii diem vivae laudis praeconium extollat, donec in resurrectione beata corpus et anima pariter unita in tuae laudis glorificatione aeternaliter copulentur. Sane, quamdiu adhuc sum in hoc corporis ergastulo, peto informari, qualiter ad hoc perveniam, ut ex toto corde et ex tota anima et ex omnibus viribus meis omni tempore quadam incessabili iugitate te valeam laudare. Istius namque rei prae maximo desiderio saepius intra me corde fervido dicebam: O primi mobilis motus velocissimus, quid festinas? Cur tam velociter pertransis? Quamobrem sic properas? Obsecro te hoc, quod est impossibile, fac possibile et sta paulisper! Morosius age! Sol contra occasum non moveatur, donec in hoc puncto et in praesenti ictu oculi huius horulae Dominum meum, dilectum meum et unicum cordis mei gaudium centies millies collaudem et glorificem ex intimis visceribus praecordiorum meorum. Hoc quoque saepius mihi fateor accidisse: cum me pro tempore animus ad diversa abstraxisset, ad me reversus et in me conversus subito aiebam: O dilecte mi, mille annorum pertransierunt spatia, ex quo te dilectum non habui in actuali memoria. Eia ergo, praecordialis amor, aperi thesaurum tuum mihi, et doce, quaeso, quamdiu adhuc vivo et subsisto, qualiter te iugiter absque ullius interruptionis impedimento, quantum possibile est, valeam laudare!

SAPIENTIA: Quicunque in omnibus actibus suis Deum intendit et sibi a peccatis cavet, et exercitia virtutum non deserit: Deum iugiter laudare non de-

sinit. Verum, ut sincerae intentioni tuae satisfaciam, nosse debes secundum notas tibi Patrum sententias, quod, cum mens humana a terrenis vitiis expurgata cunctisque emundata faecibus passionum fuerit et, quantum humanae fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis ac perfectam puritatem pervenerit: hic ad indiruptam laudis meae perseverantiam, quae finis et consummatio totius perfectionis hominis spiritualis esse dignoscitur, perveniet. Cumque mens tali fuerit tranquillitate fundata vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta et illi uni summoque bono tenacissima adhaeserit mentis intentione: sine intermissione Deum laudabit. Hac enim puritate, si dici potest, sensu mentis absorpto ac de terreno situ ad spiritualem atque angelicam similitudinem reformato, quidquid in se receperit, quidquid tractaverit, quidquid egerit, purissima ac sincerissima laus Dei et oratio erit.

DISCIPULUS: Nunc quoque superest, o amantissima Sapientia, ut post haec verba tua dulcissima de promptuario divinae Sapientiae allata, de quibusdam dubiis me informare digneris. Et primum est, ubi maximum incentivum et praecipuam materiam tuae laudis valeam invenire.

SAPIENTIA: In contemplatione illius summae ac divinissimae et superexcellentissimae maiestatis, in qua sicut in suo fontali principio omnia bona simplicissime ac uniformiter ab aeterno continentur. Deinde in rivulis bonorum particularium ab illo summo bono profluentium, quae diversimode a creaturis participantur, secundum plus et minus, prout ea causa causarum dignatur singulis communicare.

DISCIPULUS: Ad contemplationem illius altitudinis divinae maiestatis, aegrotus nequaquam assurgere valeo, sed hoc cedris Libani, videlicet fortioribus

relinquo; sed cum carduo locum mihi proportionatum in imo requiro. Verumtamen a laude tua ea propter non tacebo, si quomodo fortassis ex impotentia mea saltem potentibus occasionem videar ministrasse. Sic nimirum videmus, quod plerumque inter dulcissimas nemoris aviculas et tintinnantes philomelas corvi quoque crocitantes adsunt, in hoc eodem modico, quod acceperunt, creatori suo subservientes. Sic et ego quoque, peccator cum sim, cantum ad manus habeo peccatorum, et, prout possum, Deum meum per ipsum laudo et glorifico in aeternum. Siquidem aliud de Deo dulcius canere nescio nisi hoc videlicet, quoniam *suavis Dominus universis, et* quod *misericordia eius super omnia opera eius* (1). O Deus meus, misericordia mea! In hoc laetatur anima, exhilaratur conscientia et gaudio immenso irrigantur omnia ossa mea. Hoc suave canticum anima mea usque in saeculum inter spirituale genus avium, cum laeto dulcique canit carmine. Quotiescunque etenim mente revolvo, qualis aliquando fui, qualia discrimina evasi, a quantis periculis me protexisti et a quibus malis me eripuisti; dirupisti vincula mea, sanasti vulnera putrida, et laqueos periculosos contrivisti, et me dulciter ac paterne liberasti: cum haec, inquam, et similia bona mihi a te exhibita pertracto, mirum est, quod in horum omnium affectuosa recordatione meipsum prae amore possum portare; ardentissimis siquidem amoris ignibus incandesco.

O Deus meus, quam diu peccatorem tibi recalcitrantem patienter exspectasti! Quoties et quam paterne nunc quidem dulciter, nunc vero dure me admonuisti! Nescientem in benedictionibus dulcedinis praevenisti. Filio prodigo et peccatis praegravato

(1) Psal. 144, 9.

ac gratiis nudato in occursum veniens paterne occurristi; ab iterante vias pravas misericordem faciem non avertisti, sed semper et ubique pius et misericors fuisti. Et quod his omnibus maius est, quod in his omnibus bonis tam multiplicibus ingratus semper exstiti, nec tu, summa Bonitas, propter hoc destitisti, donec tandem me ad te dulciter traxisti. Ah summa et ineffabilis Pietas, numquid in his omnibus meipsum a laude tua continere potero? Nequaquam! Deus meus, misericordia mea, pro his omnibus et aliis innumeris beneficiis opto et desidero, ut talis tamque iucunda laudatio tibi sit ex me, qualis fuit beatorum spirituum laus tunc, cum in primo aspectu tuae divinissimae maiestatis gaudebant se aeternaliter in tua laude confirmatos, malos vero a te sine fine detrusos. Itemque tam magna tamque iucunda sit illa laudatio, quanta est animarum sanctarum, cum a carcere purgatorii ereptae vultui gloriae tuae primo praesentantur, ut tuam iucundam faciem intueantur, et, quanta erit laus in plateis caelestis Ierusalem post finalem omnium resurrectionem, quando electi a malis segregati, Deum iucundo corde laudabunt, ac de sua salvatione aeternaliter gloriabuntur.

O dulcis et pie magister, nunc quoque vellem a te scire, qualiter affectiones interdum in me exsurgentes, de quibus dubito, utrum naturales sint vel gratuitae, in laudem tuam possim convertere. Itemque, qualiter non solum bona, sed etiam mala, ut videlicet immissiones malignas per angelos malos factas, atque universaliter omnia visa et audita et sensibiliter percepta, in laudem possim convertere mei creatoris.

SAPIENTIA: Ad haec tria per ordinem talia tibi damus responsa. Et primo dicimus, quod horum affectuum praedictorum difficulter haberi potest distinctio, propter eorum maximam similitudinem. Et

ideo omnes tales affectiones, puras quidem et sinceras, ut est gaudium et exsultatio, te ad hilaritatem quandam provocantes vel etiam, ut interdum fieri solet, ad dulces lacrimas vel ad similes affectiones, de quibus nescis, unde veniant aut quo vadant, incitantes: has omnes pingues et irriguas affectiones statim, ut senseris, debes devota quadam exhibitione sursum ad rerum omnium auctorem erigere ad modum acceptabilis sacrificii, quod Abel Deo obtulit, ut eius in laude expendantur, qui et auctor est naturae et gratiae largitor; et sic quidem gratiae tales, quae ut sic sunt naturales nec meritoriae, ex fine suo quodammodo possunt fieri supernaturales, idest meritoriae. Quotiescunque vero senseris malignorum spirituum blasphemas suggestiones introrsus incipere sibilare, statim exsurge et dic: O Deus altissime, ut anima mea huius maligni spiritus locum vel officium, quo te in perpetuis aeternitatibus laudare debuerat, si perstitisset, subripere valeat in tantillo, opto et desidero, ut quotiescunque hic malignus spiritus has abominandas cogitationes contra voluntatem menti immiserit, toties ex voto omnium desideriorum meorum ineffabilis laus et gratiarum actio inenarrabilis tibi sit in perpetuas aeternitates! Et quotiescunque haec nefanda susurria immissa sustineo, toties laudis sacrificia gratissima tibi offero cum affectu.

Sic igitur, ut vides, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (1), cum etiam talis suggestio pestifera eis possit cedere in utilitatem. Porro de ultimo, quod quaesisti, sic faciendum est. Quandocunque videris vel perceperis quomodocunque rerum aliquarum praeeminentiam singularem, puta nemus frondosum, pratum floribus gratiosum, campum

(1) Rom. 8, 28.

onustum seminibus, arborem repletam fructibus et in omnibus ceteris similibus, sursum corde elevato et oculis ac manibus in caelum intentis dic ex intimis cordis tui affectibus: O generosa et pulcherrima Sapientia, secundum speciosissimas et excellentes huius rei praerogativas et gratias, milia milium caelestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent et decies milies centena milia tibi assistentium te glorificent, et universalis melodia omnium creaturarum te ex me collaudet nunc et in aeternum.

DISCIPULUS: O Deus aeterne, si tam iucunda est laus viae, qualis erit laus patriae? O si tantum delectat eius memoria, quid erit de praesentia? Sed proh dolor, per hanc tuae laudis miram et ineffabilem dulcedinem, o divina Sapientia, cor meum pariter iucundatur et tamen introrsus quasi dolore gravi sauciatur. Cum enim in hac valle miseriae me esse cogito et a perfecta laude beatorum me adhuc tam longe distare prospicio: inter vocem laudis erumpunt pariter et lacrimae moeroris. O quando veniet dies illa desiderata, quae *me liberabit de corpore mortis huius*! (1). Quis enim non cupiat et vehementer desideret *dissolvi et cum Christo esse* (2), et transire de statu miseriae, de loco pugnae, in libertatem gloriae filiorum Dei? Tempus est, Domine. Sufficit mihi! Tolle animam meam! Neque enim melior sum quam patres mei. Ecce, quam periculosus huius mundi status incipit esse! Ecce, quot mala incipiunt ex omni parte succrescere! Vae, *vae parturientibus et nutrientibus in istis diebus* (3). Felix, qui bene paratus mortem exspectat propinquam! Sed ego feliciorem dixerim, qui iam de loco mortalitatis transiit et ad aethereum thalamum feliciter pervenit. Ego autem, qui neutrum

(1) Rom. 7, 24. (2) Phil. 1, 23. (3) Matth. 24, 19.

habeo, quomodo consolari potero? O Deus meus, quid debet interim in tot laboribus et angustiis prementibus reficere vel laetificare animam meam?

SAPIENTIA: Ecce habes, unde interim tibi aliqualiter consulere possis, videlicet hanc paginam iucundae laudis divinae, quam frequenter replicando consolari poteris in adversis. Namque laetitia spiritualis et alacritas laudis divinae, est quasi quoddam praeludium caelestium gaudiorum, ubi ore pleno et corde iucundo omnes electi me laudabunt et glorificabunt in aeternum. Haec laus divina mentem in adversis reficit, animum sursum trahit et tristitiam inordinatam depellit. Ipsa inimicos spirituales fugat, Deum placat, angelos laetificat, animas a purgatorio liberat et toti caelesti curiae gaudia nova propinat.

DISCIPULUS: O *surge, surge* nunc, anima mea, *et loquere canticum* (1), canticum utique laudis in voce exsultationis. Cymbala concrepent, corda coniubilent! Tellus omnis resultet in laudem creatoris! O amantissima Sapientia, bonitas aeterna, te precor ut omni mane diluculo, cum ad te surrexero et oculos aperuero, simul quoque cor meum in laude tua aperiatur et quodam lucifero splendore ac flammeo ardore laudis tuae facula immensa ex eo simul exsurgat, in se continens tui amoris intensissimum gradum cordi humano unquam desursum concessum: similitudinem quoque ardoris in se gerens spiritus illius, qui inter supremi ordinis caelestia agmina in te et de te ardentia, maxime tuo calet in amore: ad exemplar nihilominus illius supersubstantialis et superessentialis ac ineffabilis caritatis, in qua tu, o Pater caelestis, ferventissime diligis tuum Unigenitum in Spiritu Sancto. Et peto, ut haec laus tam suaviter

(1) Iud. 5, 12.

ac blande resonet in corde tuo paterno, sicut sonare consuevit suo modo omnium citharoedorum ac musicalium instrumentorum suavis modulatio in corde iucundo, statu iuventutis florido. Et in hac laudis facula simul ascendat tuae laudis tam odorifera *fumi virgula* (1), tam gratiosa, acsi esset composita *ex* omnibus *aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii:* Tam speciosa, sicut cum vernali tempore flores herbarum pullulant in campis pulchris coloribus et arbores stant frondibus ornatis gratis odoribus. Sitque laudis huius facula tam amorosa ac deliciosa, ut in eam oculi tui delectabiliter ferantur, totaque caelestis aula resultet.

Et haec iugiter sine intermissione fervidissimo aestu et rapidissimo calore tui amoris sursum exsurgat, ex corde per devotam meditationem, ex labiis per fervidam locutionem, et ex omnibus operibus meis per sanctam ac caelestem conversationem. Et haec laudis facula sua virtute omnes inimicos repellat, gratiam augeat, finem beatum obtineat, et gloriam aeternae beatitudinis acquirat, ut finis huius laudis temporalis sit initium aeternae laudis patriae caelestis. Amen!

Capitulum Sextum.

Informatio, qualiter praemissa sint trahenda ad sermones et collationes.

Thesaurus desiderabilis in ore sapientis erit haec tua praeclarissima prorsus doctrina, o amantissima Sapientia, si fuerit taliter ordinata, ut non solum facilis sit ad intelligendum vel delectabilis ad au-

(1) Cant. 3, 6.

diendum, sed et generalis pro cuiuslibet statu ad se dilatandum. Nam et hoc ipsum eius perfecta requirit integritas. Ad verum quippe amorem tuaeque laudis condignam frequentationem zelus pertinet animarum. Siquidem fidelis servus et prudens apostolici ordinis imitator exsistens non solum sibi, sed et saluti animarum et proximorum utilitati intendere fraternae caritatis obligatione tenetur. Et ideo post praemissa huius sapientiae salutaris documenta peto informari, qualiter ad proximorum utilitatem hanc eandem doctrinam faciliter convertere et copiose valeam dilatare. Insuper et formulam artemque tribue discipulo simplici compendiosam et utilem hoc idem faciendi in quacunque alia simili materia indistincta et informi, ut sic de obstructis favorum cellulis mel producere et panem parvulis frangere ac in turbas distribuere valeam foecunditate gratiosa.

SAPIENTIA: Pulchre et compendiose huius, quod a me petis, eruditionem habere poteris, si dictum illud perutile, quod quondam in scientiis humanitus inventis legisti, non velis proicere, sed effectui curaveris studiose mandare. Quaeris, quid sit hoc. Certe illud cuiusdam famosi, qui sic dicit: Sapientis est ordinare. Quid huic (1) melius? Quid utilius? Quid nobilius? Nam et ea, quae a Deo sunt, ordinata sunt. Quod enim ordinem retinet, durabile erit. Ut ergo similiter in hoc, sicut et in praemissis omnibus exemplo magis quam verbo te instruam de quaesito: modus et ordo hic monstratus tibi erit universaliter observandus. Nota ergo circa praemissa, quod, quicunque sapienter atque ferventer non solum seipsum, sed et proximum ex hac sapientiae doctrina aedifi-

---

(1) *Caesar. Dial.* VI, 5: Fecit et aliud quiddam, quod magis huic (*quam hoc*) disputabile fuit.

care desiderat: studiose perquirendo inveniet ibi, quod proficiat utrique. Quaedam namque materiae taliter sunt positae, ut de se quodammodo sint applicabiles ad eiusmodi, si quis tamen aliqualem diligentiam voluerit adhibere: sicut sunt omnes illae, quae de Christi sunt passione, ubi solum advertendus est numerus eorum, quae et qualia Christus passus est et quomodo in his homo se eisdem spiritualiter debet conformare. Verbi gratia: Materia illa superius posita, ubi divina Sapientia inchoat discipulo pro ipsius fervore excitando suam passionem explicare, taliter est ad populum ordinanda:

Siquidem Christus, Dei Filius, imminente sibi passione horrenda, cum prae angustiis superventurae in proximo mortis guttas sanguineas sudando funderet in terram, nihilominus tamen libere suam voluntatem Patris voluntati commisit et, quod coeperat, devote perfecit. Sic quilibet devotus in omni adversitatis pressura et tribulationis angustia, licet forte naturam habeat reluctantem, se paternae voluntati committat, et devote hoc suscipiat, quod occurrit. — Et sicut Christus fuit captivatus et vinculatus, ne, quo vellet, posset abire: sic homo seipsum debet captivare, ne sequatur concupiscentias carnis ac sensualitatis appetitum ad nociva trahentem. — Item eadem nocte omnes sibi illusiones factas ac verecundias illatas ab iniquis patienter sustinuit. Sic homo omnia verba contumeliosa et turbativa atque opprobria et cuncta mala irrogata a malis et importunis hominibus patienter ferat amore sui Redemptoris similia vel potius multo maiora propter ipsum patientis. — Deinde in mortis discrimine, ad Caipham adductus, veritatem non deseruit, sed maledicentem et condemnantem sustinuit et se Dei Filium cum omni modestia confessus fuit. Sic verus ipsius servus propter nullum temporale periculum debet veritatem deserere, sed

usque in mortem constans perdurare. — Dulcissima mater eius, Filio sic angustiato viso, valde doluit et ei ex intimis visceribus compassa fuit ac amarissime flevit. Sic fidelis amicus suo amico dilecto mala patienti condoleat et compatiatur. — Deinde, cum ante praesidem statueretur et iniquis accusationibus false urgeretur, omnem mansuetudinem et patientiam ostendit. Sic verus Christi imitator non murmuret aut reclamet nec contradicat, cum indebite ab aemulis laeditur aut impugnatur. — Divina Sapientia veste alba induitur et tamquam fatuus spernitur ac irridetur. Sic omnes irrisiones, quae solent a vanis mundi huius hominibus Deum prae oculis non habentibus homini spirituali irrogari, sufferat patienter. — Spinea corona rex gloriae coronatur, sceptro ac purpura subsannatorie deluditur. Sic etiam, cum servus Christi in hòc mundo vilipenditur et velut omni honore indignus abicitur atque a praesumptuosis despicitur et illusionibus molestatur, cogitet, quod servus non est maior domino suo, nec pro malo habeat, si summo regi similia patiatur. — Post haec nudatus verberatur et flagellis nodosis caro illa sanctissima et membra delicatissima acerrime dilacerantur; corpus eius formosum plagis livet et sanguine undique rubet. Sic miles strenuus debet corpus suum per asperitates et duritias debitas castigare, ne inoboedienter incipiat recalcitrare. — Tandem sententia mortis super auctorem vitae data, crucem sibi baiulans confestim ad locum supplicii foras educitur, tamquam malefactor, qui huius mundi vita indignus aestimatur. Sic verus Iesu Christi imitator seipsum abneget crucem suam tollendo et extra castra secum exeat improperia eius portando, *tamquam purgamentum huius mundi factus* (1) *semperque mortificationem Iesu in cor-*

(1) 1 Cor. 4, 13.

pore suo circumferat (1), ut et vita Iesu in corpore suo tandem manifesta fiat.

Itaque simili modo his decem articulis faciendum est in omnibus consequentibus materiis, quae sunt de Christi passione. Eodem quoque modo fiat in materia praetaxata, de utilitate videlicet temporalium tribulationum, de quibus similiter poterit combinare et applicare, prout placuerit. Sic ergo universaliter faciat in omnibus talibus, quae sunt his similia motiva multa, quae ordinate componendo et connumerando auditoribus proponat et diffusius pertractando ad libitum collationem faciat motivam. Quaedam autem diligentiori indigent perscrutatione. Verbi gratia: In prima materia superius posita de tractatu divino diligens lector inveniet inter alia desponsationis divinae has utilitates: Ex hoc namque habebunt conscientiae puritatem, mentis securitatem, famae claritatem, nominis immortalitatem, spiritualis delectationis ac gaudiorum divinorum affluentissimam ubertatem, somnum quietum, quia securum protectorem, gloriam et honorem ac perennem felicitatem. Qui eam sibi in amicam assumit, decore vitae decorabitur, stola gloriae vestietur et corona gratulationis coronabitur; pro modico labore magna requie perfruetur et vera atque perfecta beatitudine, quae in contemplatione summi verique boni consistit, beatificabitur. Item erit honorabilis et gratiosus, pacificus et fortunatus, sapiens atque expertus, spiritualis ac divinus, amabilis et omnium bonorum possessor securus.

Item circa materiam de fervida poenitentia nota ibidem, quod haec mala inter alia peccatum consequuntur, videlicet saeva poenitentia, gemitus et fletus, moeror et tristitia et cordis clamor atque mi-

(2) 2 Cor. 4, 10.

seria. Deus perditur et anima misera a summo bono separatur. Gratiis nudatur ac donis caelestibus spoliatur. Confusione induitur et ignominia repletur. Decipitur, derelinquitur et quodammodo bonis omnibus privatur. Remorsu propriae conscientiae cruciatur, vivens moritur ac sanus exsistens languidus efficitur. Nomen sponsae amittit, Deum offendit, seipsum perdit. Salvatorem inhonorat, inimicos laetificat, sanctos autem angelos contristat. Replebitur verecundia, pavore et angustia. Peccatum astute hominem circumvenit, aufert sensum, cor transfigit et suavi toxico hominem perdit. Oculos spirituales eruit, Spiritum Sanctum fugat et robur omne tollit. Peccator gladiis inimicorum inermis obicitur, in se marcescit et sibimetipsi gravis efficitur. Aliorum bona videns, amplius de suis confunditur et conturbatur. Peccatum plumbo et leoni, tonitruo et absinthio comparatur. Privat et quiete interiori et horrore quoque dormientes conturbare consuevit. Inde animus amaricatur et denique omnis creatura tormentum eius efficitur. Interdum suadet homini diem nativitatis suae maledicere et in foveam corruere desperationis infelicis.

Circa materiam de malis religiosis, in quibus exstinctus est fervor devotionis, nota, quod religiosus tepidus vel vanus est lamentabilis, quia miserabilior quodammodo omnibus creaturis, scilicet carens Deo et mundo. Comparatur civitati ruinosae, quae vel subitanee corruit vel paulatim deficit, donec tandem ex toto perit. Item monstro marino, propter deformitatem exteriorem et interiorem. Nam verus atque perfectus religiosus debet habere has conditiones: Omnia scilicet mundana spernere, in solo conditoris amore flagrare sanctasque meditationes et bonas operationes semper habere: Seipsum et proximum aedificare, neminem autem circumvenire

aut laedere, sed in simplicitate et sinceritate vitam beatam ducere. Item carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, exercitia quoque magna et consuetudines devotione plenas habere, ac fortissime ac strenuissime contra nequitias inimici bellare, et semetipsum pro defensione veritatis et iustitiae in mortem usque tradere. Conditiones vero mali religiosi sunt hae, scilicet protervia contra suos superiores. Item querulositas; est autem querulosus, qui nihil vult sustinere, sed suae vult voluntati vivere. Cupiditas rerum temporalium inordinata et laxatio freni nimis libera ad circumstantias peccati carnalis. Item defectus divinae caritatis, invidiaque fraternae prosperitatis. Honoris ambitus inordinatus et negligentia sanctarum consuetudinum. In servitio Dei sunt pigri, pro quaestu rerum temporalium solliciti et omni tempore circa curam corporis nimis intenti. Et item quoque proni sunt imitari potius mala exempla quam bona et suam negligentiam defendere per aliorum tepiditatem. Discursus faciunt inutiles et per *colloquia prava corrumpunt bonos mores* (1). Verba quidem habent interdum ad horam spiritualia, sed facta quandoque subintrant carnalia, timentes solum oculos hominum magis quam Dei. Cor habent mundanis desideriis repletum. Et, si qua habent bona parva, multis malis sunt permixta.

Hoc igitur modo consequenter in omnibus aliis materiis huius libri usque in finem poterit quilibet studiosus cum diligentia flosculos extrahere, unde possit ad salutis viam proximum trahere et ad devotionem excitare. Quod sibimet faciendum ideo relinquimus, ut ei ex hoc studio fructus salutis et merces crescat aeternae retributionis.

---

(1) 1 Cor. 15, 33.

Capitulum Septimum.

Qualiter multi fideles possint Sapientiam divinam desponsare et quomodo per cotidiana quaedam levia exercitia debeant se continue in eiusdem amore renovare.

Venite, filii, audite me! *Venite et audite, et narrabo vobis, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit* Dominus *animae meae* (1). *Fecit* enim *mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius* (2). Plane spectabilia et magnalia sunt haec, tamquam insignia, ut ex his non immerito admiretur omnis homo, magnificans Deum ac dicens, *quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius* (3). Quamobrem, si ego quidem inter haec sobria quadam ebrietate videar mente excedere, Deo concedendum est. *Caritas enim Christi urget nos* (4). Iamque *os nostrum patet;* sed et *cor nostrum dilatatum est* (5). Auditum ergo hunc iucunditate et exsultatione plenum, multorum pro salute indultum, magno cordis desiderio vobis eructare cupio festinanter. *Etenim sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est* (6). Audite ergo nunc, populi omnes! De regalibus nuptiis venio, ex vino caeli potatus madeo, nuptiali thalamo potitus gaudeo. Insuper bonum nuntium porto cunctisque nova gaudia fero. Et ideo meipsum prae iubilo non capio, sed totus iucunditate infusus exsulto in Domino.

Quaeris, unde tam rara tamque insolita gaudiorum

---

(1) Psal. 65, 15.
(2) Luc. 1, 49.
(3) Psal. 105, 1.
(4) 2 Cor. 5, 13-14.
(5) 2 Cor. 6, 11.
(6) Tob. 12, 7.

materia sit in terra nostra suborta. Nimirum ex hoc, quod in his paschalibus gaudiis, videlicet regalibus ac spiritualibus nuptiis, ipse rex summus ac imperator divinus suam mihi unicam ac dilectam, aeternam scilicet Sapientiam in sponsam copulavit. Sponsalia contraxit et me quodammodo suum generum fecit. O quis ego, qui sim gener regis? (1). Quis ad tantam dignitatem audeat aspirare? O quam magnum est hoc, quod tam pauper et modicus, tam vilis et indignus, nullis meritis praecedentibus, ad tantam dignitatem debuit sublimari. Quis aestimare queat haec dona carissima omnique gratiarum actione dignissima? Sed neque his contentus rex magnificus, adauxit munera, cumulavit beneficia, ampliavit dona et gratiam copiose dilatavit.

Nam humilis ille huius sapientiae discipulus, in ea visionis gratia quodam novo et mystico nomine ab ipsa vocatus Frater Amandus, dum in cordis cubiculo, nuptiali thalamo, tum divinissima sponsa sua secreta silentia petisset et inter ipsius amoris brachia dulciter soporatus obdormisset, cordis tamen fervido affectu admodum perfecte vigilaret, atque de aliorum pariter salute secum tractaret: praedicta sponsa huiusmodi verba nimium dulcia intellectualiter ac supernaturaliter omniumque mortalium vocum conditionibus dissimiliter depromebat dicens: Ex te namque egredietur, in quo omnes gentes benedicentur. Ex quibus verbis caelitus prolatis nimium delectatus pariter et admiratus, gratitudine praecipua ad eam conversus dicebat: O lumen oculorum meorum, o desiderium animae meae et gaudium mentis meae, quod voce exprimi non potest: Amica dulcissima nimium formosa, et prae cunctis incomparabiliter generosa omnibusque gratiis decentissime

(1) 1 Reg. 18, 18.

perornata: ecce tu nosti hanc esse conditionem ac proprietatem amoris intensi, ut hoc, quod quis intense amat, hoc aliis et placere cupiat, et a ceteris omnibus id amari ac laudari, sine sui tamen praeiudicio concupiscat. O amorosi iam praesens mei conditio cordis, tot miscens interim ignita suspiria verbis. Sed ecce tu unica et sola es illa cunctis optabilibus bonis supereffluenter cumulata, talisque te ipsa tradente est tua singularis praerogativa, ut quanto quivis amator te pluribus sine invidia communicaverit, tanto perfectius te in semetipso possidebit. Quapropter, o benigna de salute cunctorum sollicita, da modum aliquem, excogita viam congruentem, per quam hic tuus amor ac spiritualis desponsatio multiplicetur vel etiam, sicut iam in nonnullis desidiosis antiquata est, aliqualiter renovetur! Nam et natura a te optime instituta, quibusdam providit de necessariis remediis, per quae eorum continua defectio, quam universa temporis legibus subiecta incurrere certum est, continue restaurantur. Sic revera et gratiae dona, ne perdantur vel diminuantur, frequenti egent renovatione.

O mi Deus, si multi scirent per experientiam, desponsationem tuam esse adeo iucundam! O si nossent tam modicum ipsius esse laborem, et remunerationis tam immensam mercedem! Totus aestuo, cum cogito, quod tanta bona de prope posita a multis negliguntur: et quod messis tam multa, et operarii tam pauci inveniuntur. O quantum huius rei prae desiderio flagrabat doctor ille egregius Apostolus Paulus, qui fraterna caritate permotus cupiebat ipse *anathema esse pro fratribus suis* (1), ut spiritualia haec consiliaret connubia. Quid denique ait? *Despondi*, inquit, *vos uni viro* (2). Sed et divinus ille Do-

(1) Rom. 9, 3. (2) 2 Cor. 11, 2.

minicus, pater noster inclytus, desponsationis huius quasi caelestis quidam paranymphus cupiebat seipsum vendere (1), ut totus posset impendi et superimpendi pro animarum salute huiusque divini amoris instauratione. Sic et socius ipsius individuus evangelicus ille Franciscus omnia arbitratus est ut stercora, ut ad amorem hunc pretiosum omnes traheret multosque amatores Christo lucrifaceret. Similiter et multi alii Deo dilecti ab initio mundi fecerunt, qui se huius rei causa tormentis et periculis innumeris exposuerunt, tanto feliciores huius desponsationis participes se fieri arbitrantes, quanto plures potuissent sibi attraxisse consortes et consodales.

Nunc ergo, Domine mi, paternis devote inhaerendo vestigiis ego quoque huius amoris iaculo vulneratus, et zelo fraternae caritatis medullitus tactus, genua cordis mei ad te flecto et ex totis praecordiis cum singultu et lacrimis te flagito, ut hanc tuam spiritualem desponsationem in diebus nostris non sic perire permittas, sed gratiam renovationis ipsius aliqualem cordibus diversorum infundas. Fac nobiscum, Domine, non secundum nostrorum meritorum parvitatem, sed secundum quod decet tuam amabilem atque piissimam bonitatem. In tua namque clementia dependet tota salus nostra. Ex eo quippe miseris es tam ineffabiliter amabilis, quod ipsis indignis es tam pius atque placabilis. Sed ne diutius te protraham: en ego miser peccator propriis delictis praegravatus, sed de tua immensa pietate confisus, coram te prostratus iaceo, de terra non surrecturus, donec ex labiis tuis verbum egrediatur gratiosum, donec surgas et propitius fias, consensum praebeas, ac te nunc quoque sicut olim desponsari permittas.

---

(1) Vide *Constantin.* in *Vita S. Dominici* (apud *Quetif. Script. Ord. Praedicat.* I, p. 27).

SAPIENTIA: Ego quidem paratus essem omni tempore hoc, quod petisti adimplere et in haec spiritualia connubia consentire, si tamen essent, qui huic desponsationi vellent legitime operam dare. Sed mirum in modum multi sunt, qui hanc desiderant arrham habere, verumtamen pro eius adeptione nolunt laborare. Verum quidem, si sine labore haec mea felicissima desponsatio obtineri posset, innumeri me sibi in amicam eligerent. Quis enim nisi insanus auri immensum pondus sibi gratis allatum non tollat et vadat? Nunc vero sic est, quod *sapientia trahitur de occultis* (1); et qui voluerit ipsam possidere, necesse habebit eam cum labore et sollicitudine *quasi pecuniam quaerere, et effodere quasi thesauros* (2). *Non* enim *invenitur in terra suaviter viventium* (3). Siquidem consilio divino decretum est, quod nullus hanc dignissimam sponsam accipit, nisi prius strenuissime in acie propter ipsam militaverit et adversa sustinuerit multa. Et quicunque in his tribulationibus viriliter usque in finem perseveraverit in hoc mundo eius in obsequio, hic tandem feliciter eidem copulabitur sine fine in regno suo glorioso. Nec mirum, quod labor praeire solet mercedem. Quis namque et in hoc brevi tempore optando et non operando obtinet, quod vult? Et ideo digni non sunt ipsius perfecta desponsatione, qui adversa dedignantur eius ob amorem sustinere.

DISCIPULUS: Utique, Domine. *Nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum* (4). Et ideo saltem hoc fiat, ut ex participatione illius perfectae desponsationis divinae, quibusdam singulariter collatae, tuis quoque infirmis ac

---

(1) Iob 28, 18.
(2) Prov. 2, 4.
(3) Iob 28, 13.
(4) Matth. 15, 27.

fragilibus, prout invenerit manus tua (1), providere digneris. Condescende, quaeso, infirmitatibus nostris et malitiae temporis huius instantis, et da modum aliquem hanc gratiam secundum diversos gradus participandi! Nam et diversos gradus habes in entibus. Aut *numquid unam tantum benedictionem habes, pater*? (2). Da igitur modum aliquem facilem et tam generalem, ut omnes te per ipsum colere cupientes, sive tibi caritate perfecta iungantur, ne fragilitate humana praepediti ab hac retrahantur, seu etiam postmodum igne purgatorii condigne purgentur, mereantur benedictionis ipsius esse consortes. Nec universalia, ut soles, documenta de hac re proponas, sed ad singularia ac particularia et quaedam levia et communia descendas, tamquam si nutrix parvulis suis lac praebeat, non solidum cibum (3). Haec namque impotentibus quibusque ac simplicibus suavius sapiunt et facilius adimplentur.

SAPIENTIA: Quoniam ex evangelico statui promisso, me cum fidelibus esse *usque ad consummationem saeculi* (4) naviculamque Petri, licet multipliciter quassatam, nequaquam deserere velle usquequaque: ideo secundum diversa tempora ad excolendam vineam meam operarios destinavi, eique salutis aeternae remedia contuli ac saepius collata renovare non omisi. Sed et ab initio per nationes in animas sanctas me transfundo, amicos Dei ac prophetas constituo. Quamobrem et in praesenti nunc quoque pietatis quaedam opera ac dilectionis consueta satis exercitia, quibus a multis diversorum graduum ac statuum hominibus desponsationis huius aeterna salus diversimode comparticipari possit, tibi indi-

---

(1) Is. 10, 10.
(2) Gen. 27, 38.
(3) Hebr. 5, 12.
(4) Matth. 28, 20.

cabo. Simulque, qualiter amor meus iugiter renovari valeat, demonstrabo. Adiciens nihilominus, quod hi, qui eiusdem sapientiae doctrinae super firmam petram catholicae et apostolicae veritatis fundatae exstiterint devoti imitatores, benedictionis quoque ipsius, quae per semen fidelis Abrahae repromissa est, in Christo Iesu erunt in sempiternum heredes.

Igitur, quicunque desiderat aeternae Sapientiae amabilis fieri discipulus, cuiuscunque conditionis sit vel status, aut sexus seu ordinis aut etiam religionis: debet diligenter servare ea, quae sequuntur, quae sic sunt temperata, ut nihil difficultatis importent, et quilibet possit ea facere sine omni praeiudicio suae professionis et status. Siquidem divina Sapientia non intendit per ista statuere aliquam obligationem vel professionem aut astrictionem qualemcunque, sed solum quandam novam dormitantis devotionis spontaneam excitationem: in qua, qui se exercitare voluerit, bene facit et laudabiliter; qui autem hoc non facit, pro tanto non peccat nec delinquit.

Ante omnia igitur quilibet Sapientiae discipulus debet amorem carnalem, si habet, relinquere et ipsam praeclaram aeternamque Sapientiam divinam in sponsam sibi assumere et amicam. Quodsi fortassis quispiam adeo ligatus esset per amorem aliquem privatum, quod sibi ipsi tam subito vim inferre asperum iudicaret esse ac nimis durum: saltem bonum habeat propositum, ut ab hoc amore nocivo se velit abstrahere, cum adiutorium divinum occasione aliqua inventa sibi senserit efficaciter arridere.

Hi autem, qui terreno amore ligati non sunt, sed alias desides hucusque ac tepidi atque negligentes eius in amore fuerunt: debent hanc spiritualem sponsam quasi de novo desponsare et se in eius amore recenter renovare, pio quodam devotionis affectu.

Hoc autem sic dicimus esse faciendum, ut eidem, cui prius servire solebant tamquam Domino per timorem, sibi nunc pariter studeant placere et adhaerere tamquam dulcissimae sponsae per spiritualem et intensum amorem: semper cogitantes excellentiam et pietatem huius divinissimae sponsae, et quam beati sunt illi, qui eius amicitia in hac vita meruerint decorari. Et haec desponsatio vel desponsationis antiquae innovatio propter ferventiorem devotionis excitationem debet fieri non solum ab intra in anima, sed et exterius, licet occulte, per aliqua signa, puta per tres prostrationes, seipsum in eisdem tantae sponsae dando, offerendo et exhibendo et arrham desponsationis ab ea petendo, scilicet aliquam novam gratiam in signum mutuae dilectionis et fidelitatis, quam neque mors neque vita, neque quaecunque creatura in perpetuum debeat violare. Et quia plerumque facta plus movent quam verba: factum quoddam valde notabile ac rarum multumque motivum, spectans ad propositum, tibi revelabo.

Erat quidam iuvenis fervidus amator, ipse Henricus Suso, qui amore terreno relicto sponsam hanc caelestem, divinam scilicet Sapientiam sibi in amicam elegit. Cupiensque vehementer dilectam hanc intimis visceribus cordis sui plenius incorporare, secretum locum petiit; et prae amoris stupenda vehementia surgens et vestimenta sua a parte superiori corporis extrahens, arrepto ferro acuto, super nuda praecordia pectoris sui, in ea parte, ubi cordis vitalis pulsus praecipue videtur vigere, praedictum ferrum carni suae infixit tam valide, ut singulis ictibus cruor sanguineus erumpens sequeretur ictus ferientis, et sanguinis undae desuper praecordiis deorsum defluentes decurrerent minutatim. Sicque tot acutas puncturas saevasque fixuras hinc inde fecit, donec tandem hoc modo nomen praeclarum suae sponsae,

quod est Iesus, magnis et capitalibus litteris super latitudinem cordis sui exaravit. Cum autem haec amoris vulnera recentia et sanguinolenta sibi nimium dulcia, in carne livida aliquamdiu cum multo amoris incendio portasset, tandem post multos dies sanatus, clare et perfecte praedictum nomen caro illa in eodem loco integraliter conservavit. Postmodum igitur cum hic divinus amator quemlibet terrenum amatorem suae sponsae vanum nomen in veste saeculari, ut a nonnullis fieri solet, deferri videbat: ex intimis praecordiis ad divinam sponsam suam conversus, eiusque amoris superexcellentissimas praerogativas commemorans, ipsius nomen non in tabulis lapideis aut vestimentorum picturis, rubrica vel atramento (1) conscriptum, sed in tabulis carnalibus cordis, atque litteris sanguineis, rosea vernantibus floratura consignatis, se gestare indelebiliter in suis praecordiis gaudebat.

Fructum vero salutiferum divini amoris inde sibi crescere notabiliter sentiens ex praesentia tanti nominis memoriam iugiter admonentis, cupiensque quoslibet devotos divino in amore proficere: suasit eis proinde huius nominis maiorem curam habere: non quidem, ut idipsum facerent et se periculo inconsulte committerent, neque illud ullo modo imitari deberent, quod sibi ex singulari dono datum fuit virtute divina superare, sed quod illud nomen salutiferum qualitercunque formatum vel conscriptum, secrete quidem et latenter, aut in veste aliqua vel alias ad libitum pro divini amoris excitatione semper deferrent. Sane praedictus adolescens Amandus memoratum amoris opus ideo fecit, ut quotiescunque contingeret nomen praedictum sibi soli ac Deo ibidem cognitum a se videri, toties contingeret pri-

(1) 2 Cor. 3, 3.

stinam amicitiam rememorando quasi recenter in corde suo renovari.

Simile huius quantum ad intentionem facti legimus de Simone summo sacerdote, qui amicitiam, quam Iudas Machabaeus frater eius dudum cum Romanis statuerat, quasi iam inveteratam cum renovare vellet: clypeum aureum illuc in signum misit et antiquam amicitiam innovavit (1). Sic et ipse Dominus in signum foederis hominibus arcum in nubibus dedit. Sic et filii Israël inito foedere cum Domino aquam effuderunt et, vel aras aedificantes aut lapides ponentes, res aliquas corporales statuerunt, ut per exteriora signa interior fragilis humana iuvaretur memoria. Multi quoque sancti novi testamenti in transactis ante nos temporibus pro incitamento suae devotionis picturas diversas sibi fecerunt; quidam imagines vel cruces iuxta se habuerunt; nonnulli etiam reliquias vel cetera similia apud se, ut legitur, huius rei causa detulerunt. Hoc ergo, ut praedictum est, faciat scilicet de nomine Iesu, qui gratiam habuerit. Animus quippe humanus facillime a coeptis labitur, nisi frequenter in coeptis renovetur.

Item Sapientiae aeternae devoti cultores ac discipuli possunt, qui volunt, cotidie horas subscriptas (2), scilicet cursum brevem eidem Sapientiae legere. Hi autem, qui legere nesciunt vel legitime occupati sunt seu etiam, qui eas commutare cupiunt, dicant loco earum septem *Pater noster* pro septem consuetis horis, pro qualibet hora unum. Haec autem debet esse eorum intentio in his horis, ut divina Sapientia custodiat eorum corda et corpora, ne ab hoc mundo

---

(1) 1 Mach. 14, 24.

(2) Horas illas titulatas: *Cursus de aeterna Sapientia,* praetermittendas esse putavimus.

stultissimo et moderni temporis vanitatibus ac malignitatibus pleno irretiantur, sed caute et sapienter ambulando a cunctis malis et periculis praeserventur. Item in mensa post benedictionem, antequam incipiant comedere, dicant unum *Pater noster* pro eleemosyna spirituali his animabus, quae maxime sunt indigentes in purgatorio: attendentes, quam periculosum sit gratis eleemosynam comedere et per continua suffragia fideliter eam non deservire, et quam pium sit in nullo se iuvare valentes iuvare, et cum quanta nihilominus gratitudine gaudeant se in tanta miseria vel minimam guttam aut micam unam, quae cadit de mensa dominorum suorum, recipere pro refrigerio qualicunque.

Et, ut hoc quoque exercitium pietatis magis gratum ac persuasibile devotis mentibus fiat, sciendum quod, dum devota quaedam approbatae religionis persona simul cum ceteris quibusdam has orationes faciendas de novo suscepisset, praecipue tamen magna devotione erga praemissum *De profundis* pro animabus desolatis dicendum flagraret: apparuerunt ei in quadam visione animae multae locis purgabilibus deputatae, quae ex vili habitu et gestu miserabili, quem praeferebant, suffragiorum se beneficio indigere deflebant. Inter quas tamen singulariter una ipsam accessit et flebiliter ab ea petiit, ut se permitteret esse hunc suum mendicum, cui cotidie in mensa *De profundis* praedictum pro eleemosyna erat largitura. Ex qua visione postmodum ferventius erga hanc agebatur eleemosynam spiritualem.

Item unum *Pater noster* dulcissimo et salutifero nomini aeternae Sapientiae, quod est Iesus, ut Dominus et Salvator noster omnes hos aeternae Sapientiae discipulos sanctamque matrem Ecclesiam salvet et custodiat a cunctis adversis et ab omnium tueatur hostium insidiis. Sane ob reverentiam tanti nominis

eidem praemittendo vel etiam subinferendo dicant haec verba: Benedictum sit nomen Domini nostri Iesu Christi Dei et gloriosae Virginis Mariae matris eius in aeternum et ultra! Amen! Et de hoc exstant indulgentiae. Ratio huius orationis de hoc nomine est, ut ille dulcis Iesus, qui proh dolor his ultimis temporibus de cordibus multorum quantum ad devotionis fervorem deletur et exstinguitur, et tam damnabiliter iam proiectus est, eo quod tam innumeri sunt, qui, quae sua sunt, quaerunt, non, quae Iesu Christi: ut, inquam, hoc mellifluum nomen aliquomodo reviviscat et cordibus fidelium inculcetur ac renovetur, praedictum fiat pietatis exercitium. Hanc nimirum proiectionem Iesu a suis quondam dilectis ipsamet divina Sapientia nonnullis in visione apparens conquesta est voce querulosa.

Item prima die ab Ecclesia instituta pro historia Sapientiae cantanda, videlicet prima dominica mensis Augusti et ante vigiliam Nativitatis, quando inchoatur ad vesperas antiphona *O Sapientia*, et diebus sequentibus usque ad noctem illam gloriosam, cum in hunc mundum Patris genitura aeterna Sapientia dignata est introire: fiat aliqua specialis memoria de ea in orationibus privatis per antiphonam vel collectam vel orationem Dominicam. Si etiam aliquis, temporibus illis cum vacaret, missam privatam de aeterna Sapientia celebraret, gratum haberet.

Item discipulis et amatoribus Sapientiae tres adhuc dies in anno debent esse praecipue observabiles, ita ut qualibet istarum trium dierum aliquod obsequium speciale faciant huic sponsae spirituali.

Prima est dies circumcisionis Domini. In hac enim die incipit annus, et secundum consuetudinem quarundam terrarum inveteratam hac die hi, qui sibi invicem in amicitia singulariter sunt iuncti, consueverunt sibi mutuo strenas dare et bonum annum

optare. Sic igitur similiter pro excitatione dormitantis animae ad amorem divinum quilibet devotus Sapientiae discipulus et amator in hac die suam unicam ac dilectissimam sponsam divinam accedat et bonum annum pro strenis sibi ipsi et omnibus ipsius condiscipulis et sanctae matri Ecclesiae fideliter deposcat aliquam orationem specialem faciendo vel etiam, cui hoc congruit, cereum accensum in honorem ipsius, qui aeterna lux est, ad altare vel ante crucifixum offerendo vel procurando in signum, quod omnem salutem suam fidelis discipulus in hoc instabili tempore recognoscit, et vult se a sola sponsa divina haberi et, quod amor eius solius in corde suo debeat ardere et lucere; et petat, ut, si hic amor fortassis aliqua occasione exstinctus est, tam misericorditer reaccendatur, ut de cetero nunquam exstinguatur.

Secunda dies est dominica in quadragesima, quae dies a plerisque appellatur carnisprivium; et haec ab huius mundi stultis amatoribus celebris habetur et cum vanitatibus supervacuis expenditur. Tunc enim amici et sodales convenire consueverunt, et solacia mundana ac peritura sibi invicem facere. In signum ergo, quod illa divinissima sponsa suo discipulo debet esse hoc totum, quod est gaudii ac solacii et amoris in hoc mundo et in futuro: ideo pro excitatione devotionis tepidi cordis sui faciat sicut prius.

Tertia vero est prima dies mensis Maii, cum vernalis serenitas omnibus grata et desiderabilis incipit in terrae germinantibus pulchre apparere. Nam tunc consuetum est et maxime in partibus Sueviae terrae Alamanniae, quod adolescentes de nocte silvas petunt et arbores viriditate foliorum venustas praecidunt et floribus ornatas prae foribus locant, ubi se putant habere amicas, in signum amicitiae et fidelitatis.

Sic ergo, ut ex iniquo principio confletur sancta devotio, sicut et de prima die mensis Augusti noscitur ab Ecclesia factum esse hoc, quod ab illis supervacue fit homini mortali, ab istis devote fiat omnium conditori, et tanto sollicitius, quanto haec divinissima amica omnes mortales in gratiis praecellere dubium non est. Unde illa die suae carissimae sponsae divinae ad incitationem suae devotionis lumen corporale offerant vel aliquam orationem devotam dicant, seipsos eidem affectuosius recommendando.

Discipulis quoque sapientiae summo cordis affectu honoranda est illa mater summi regis aeternae Sapientiae, quae eosdem tamquam filio proprio speciales in speciales sibi vult assumere filios et eorum curam gerere materno cum affectu. Unde, quilibet devotus Sapientiae discipulus debet eam cotidie honorare cum salutatione angelica novem vicibus dicta. Unum *Ave Maria* dicat cum genuflexione summo mane, cum primo surgat de lecto, omnia bona opera sua die illa facienda, reginae caeli ad manus devote porrigendo, ut, cum tàm reverenda et dilecta mater ea praesentaverit suo Filio, regi summo, grata et accepta fiant, ob reverentiam tantae mediatricis, quae fortassis modica ac vilia minusque grata fierent immediate praesentata per manus peccatoris. Similiter in sero faciat post omnes orationes, cum iam immediate ad lectum est eundum. Et, ut eo securius dormiat, ab ea petat, ut quidquid illa die minus factum est, per ipsam suppleatur, quod male factum per ipsam pie relaxetur, et quod bene factum est, per eam conservetur et gratificetur. Item septem *Ave Maria* dicat cordi genitricis Dei dulcissimo omniumque peccatorum refugio piissimo, ut ipsa illud suavissimum aeternae Sapientiae triclinium cunctarumque miserationum Domini depositorium superefffluentissimum, misericorditer aperiat et inclinet ad

omnes huius Sapientiae, filii sui, discipulos in ultimo exitu spiritus sui, ut eos tunc pie defendere et ad caeli palatia concomitare dignetur.

Postremo vero omni anno proxima feria immediate sequente diem animarum pro eisdem videlicet harum orationum comparticipibus defunctis et pro ipsorum caris amicis missam dicant, qui sunt sacerdotes vel offerant aut centum *Pater noster* dicant, qui sacerdotes non sunt. Subiungentes devote praemissis orationibus hanc supplicationem, ut Deus et Dominus noster per suam aeternam Sapientiam misericorditer Ecclesiae suae dudum tribulatae subveniat et eam ad pacem ponat et tranquillitatem.

Compendiosius autem praedicta recapitulantes sciendum, quod amatores seu cultores aeternae Sapientiae secundum praemissa debent carnalem seu terrenum amorem, qui occasio multorum est malorum, deserere et aeternam Sapientiam in sponsam spiritualem assumere vel desponsationem hanc dudum contractam novo devotionis affectu renovare et ad maiorem devotionis incitationem tres prostrationes in loco orationis secreto facere, cum se primo ad hoc offerunt. Item possunt facere ea, quae sequuntur, videlicet cotidie dicere septem *Pater noster* pro septem horis Sapientiae, pro qualibet hora unum. Item in mensa ante sumptionem cibi dicant unum in eleemosynam spiritualem his animabus, quae sunt magis egentes in purgatorio. Item nomini Iesu dulcissimo unum contra omne malum et infortunium mentis et corporis eidem praemittendo vel subiungendo haec verba: Benedictum sit nomen Domini nostri Iesu Christi Dei et gloriosae Virginis Mariae matris eius in aeternum et ultra! Et sic erunt in universo novem *Pater noster*. Et, qui habent gratiam, possunt pro incitatione et signo divini amoris nomen Iesu secum occulte portare. Hi autem, qui sciunt le-

gere, debent dicere pro maiori devotione cursum de Sapientia et intermittere septem *Pater noster* prima praedicta. Item beatae Virgini, cum primo surgunt, dicant unum *Ave Maria*, ut ipsa sit bonorum ab ipsis ea die faciendorum praesentatrix; et in sero unum post omnes orationes, videlicet cum sunt in procinctu se deponendi, ut sit malorum commissorum ab ipsis reconciliatrix. Item cordi suo misericordissimo septem, ut horum omnium condiscipulorum in mortis articulo sit adiutrix. Et haec similiter erunt novem *Ave Maria*. Item debent prima dominica mensis Augusti, cum incipit historia de Sapientia, et ante natale Domini, dum incipiunt sollemnes antiphonae *O Sapientia* et ceterae, aliquam orationem vel memoriam ad libitum de Sapientia facere. Item diem circumcisionis et dominicam in quadragesima et primam diem Maii debent in speciali obsequio habere, orationem faciendo vel candelam accensam offerendo vel procurando, quibus hoc facere convenit. Et item proxima feria post diem animarum pro omnibus his Sapientiae aeternae discipulis defunctis et pro ipsorum caris missam celebrare vel offerre vel centum *Pater noster* dicere, secundum quod tunc congruit statui uniuscuiusque.

Si vero essent aliqui adeo debiles vel infirmi vel occupationibus licitis dediti, ut pro tempore a praedictis impedirentur, vel, si essent tam duri cordis et saecularis animi, quod propter eorum ignaviam nescirent singula, prout dictum est, applicare: dicant novem *Pater noster* cum totidem *Ave Maria* et faciant suffragium praedictum; et haec faciant illa intentione implicite, qua et ceteri explicite, et sufficit. Si etiam aliqui essent, qui praedicta *Ave Maria* vellent commutare in totidem *Salve Regina* et illud *Pater noster*, quod in mensa ante cibum pro animabus dicitur, in psalmum *De profundis:* bene facerent ad ho-

norem Sapientiae aeternae, quae est benedicta in saecula.

Porro, ut ad propositum nunc paululum redeamus, considerare libet, quod haec mea, inquit divina Sapientia, perutilis doctrina, simplicitate quidem sermonis inculta, sed revera omni fructu spirituali operose foecunda, tibi erit devotione praecipua suscipienda. Nam, ut ipse cernis et experiri potes, per eam fervor devotionis accenditur, cultus divinus ampliatur, proximus utiliter aedificatur; sed et animabus in locis purgabilibus degentibus pium inde adiutorium confertur; nullique nisi forte invido detractori vel impio derogatori habentibus intellectum excaecatum et affectum induratum, poterunt haec iusto examine probata displicere. Ordine igitur caritatis debito hic servato exinde primo devotionem tibi haurias, deinde proximorum provideas animarum saluti!

Capitulum Octavum.

Fructus multiplex divinae benedictionis, quem discipuli Sapientiae merentur accipere ex eius desponsatione.

Dum aurora finem daret et tempus hoc iucundum votivis cum gaudiis et festivis laudibus in huius dulcissimae sponsae divinae felici allocutione expensum finem haberet, iam iamque discipulus, qui divinis interim vacaverat conspectibus, ad exteriora opera laboriosa vocaretur, somnumque huius quietissimae contemplationis et internae suavitatis interrumpere oboedientiae stimulis urgeretur: totus ad dilectam conversus et in amoris lacrimas resolutus in oscula sancta ruens ei, quam diligebat anima eius, praecor-

dialissime valedixit crebroque brachiis amoris affectuosissime eam sibi sponsam spiritualem constringens, sustinuit quasi horam dimidiam et talia inter querulosa valedictionis verba lacrimosa voce subintulit dicens:

Nunc quoque sermo mihi ad te dirigitur, o precordialis amor cordis mei, cui soli me totum commisi cupiens haec in aevum perpetuari. Gratias tibi dilectae refero pro his aliisque innumeris beneficiis mihi a te ex gratia sola collatis. Tibi laus et gloria in saecula!

Te obsecro intimo cordis ignito desiderio per viscera misericordiarum tuarum et per virtutem sanguinis rosei, quem abunde in tua passione pro humani generis redemptione effudisti, ut hos omnes, qui te aeternam Sapientiam decreverint modo praefato desponsare, teque voluerint colere cum praemissis orationum devotis exercitiis seu etiam haec eadem fidelibus studuerint communicare: ut, inquam, hos omnes benedictione salutari benedicas, rex meus et Deus meus! Tu namque es fructus ille benedictus olim mundo repromissus, in hoc singulariter privilegiatus, ut cuicunque tu benedixeris, sit ille benedictus. Benedic ergo, pater mi, pueris istis, amatoribus videlicet ac discipulis tuis, benedictione omnium patriarcharum et cunctorum electorum tuorum, qui tibi ab initio placuerunt, ut eorum tandem felici numero cum gaudio aggregentur! Invocetur, quaeso, nomen tuum amabile et gloriosum super eos (1), ut sit eis in protectionem salutis in cunctis mundi huius variis vitae periculis! Tua aeterna Sapientia eos in agendis dirigat! Angelus pacis ipsos custodiat, et prosperitas animae et corporis eis arrideat salutaris!

Da eis, Domine, locum poenitentiae, ut per veram

(1) Gen. 48, 16.

contritionem et puram confessionem atque satisfactionem perfectam ante mortem suam ad te suum creatorem convertantur tibique perfecte reconcilientur nec non et sacrosancti Corporis tui perceptione pro viatico in extremis laborantes muniantur ita, ut nequaquam subitanea et improvisa ac indisposita morte praeoccupentur! Fac eis, Domine, propter nomen tuum gratiam hanc, ut, sicut nunc per haec devota servitia tibi famulantur, sic in hora extrema suae exspirationis a te benedicantur et a tua dulcissima matre, Matre, inquam, misericordiae, ad regna gloriosa perducantur, ubi in caelesti patria sancta illa agmina beatorum spirituum post praesentis incolatum miseriae ab ubertate domus Dei feliciter inebriantur, te regem gloriae Dominumque virtutum in decore tuo conspicientes, Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen!

INDEX

PAG.

PRAEFATIO EDITORIS VII
De b. Henrici Susonis scriptis et vita VII
De b. Susonis, Tauleri, M. Eckardi theologia mystica X
PROLOGUS 1

LIBER PRIMUS

CAP. I..... Qualiter quidam electi et divina gratia praeventi ad Deum mirabiliter trahuntur, et specialiter quomodo quidam iuvenis fuit tractus . . . 9

CAP. II..... Quomodo Christi passio sit praeambula ad cognitionem divinitatis, et qualem formam Christus contraxerit ex acerbitate suae passionis 20

CAP. III.... De quibusdam Christi passionibus, et qualiter verus amator se eisdem debet conformare, et quare Deus per talem mortem voluit genus humanum redimere 24

CAP. IV.... Qualiter anima, quae sponsum per peccatum perdiderat, ipsum sub cruce per fervidam poenitentiam invenit, Christi passione adiuta 33

PAG.

CAP. V..... Planctus super exstincto fervore devotionis in diversis personis utriusque sexus moderni temporis, quos Christus per suam passionem revocat ad verum amorem 43

CAP. VI.... Qualis sit divina sponsa, aeterna Sapientia, et de qualitate amoris ipsius 59

CAP. VII... Quod divina Sapientia amabilis sit pariter et terribilis 77

CAP. VIII. De vicissitudine visitationis divinae, et qualiter anima debet se tunc tenere 80

CAP. IX.... Quare divina Sapientia suos caros in hoc mundo permittit tam multipliciter tribulari 94

CAP. X..... De cruciatibus infernalibus 101

CAP. XI.... De gaudiis supercaelestibus 108

CAP. XII.. Determinatio quarundam obiectionum, quae in praecedentibus sunt omissae 117

CAP. XIII. Quam utile sit servo Dei in hoc mundo multas sustinere tribulationes . . 128

CAP. XIV. Quam utile sit passionem Christi iugiter habere in memoria 144

CAP. XV.. Quomodo verus Christi discipulus debet se configurare passionibus ipsius . 152

CAP. XVI. Commendatio singularis beatae Virginis, et de dolore eius inaestimabili, quem habuit in passione Filii . . 160

LIBER SECUNDUS

CAP. I..... De diversitate admiranda doctrinarum atque discipulorum 175

CAP. II..... De scientia utilissima homini mortali, quae est scire mori 183

PAG.

CAP. III.... For.nula compendiosa vitae spiritualis 199

CAP. IV.... Qualiter Christus in sacramento Eucharistiae sit devote recipiendus . . . 207

CAP. V..... Qualiter aeterna Sapientia sit ex toto corde et ex tota anima iugiter omni tempore laudanda 236

CAP. VI.... Informatio, qualiter praemissa sint trahenda ad sermones et collationes . 250

CAP. VII... Qualiter multi fideles possint Sapientiam divinam desponsare et quomodo per cotidiana quaedam levia exercitia debeant se continue in eiusdem amore renovare 257

CAP. VIII. Fructus multiplex divinae benedictionis, quem discipuli Sapientiae merentur accipere ex eius desponsatione . . 273

Eiusdem auctoris P. C. Richstätter S. J.

Sumptibus Kösel-Pustet, München (Germaniae) opus:

Die Herz-Jesu Verehrung des deutschen Mittelalters. — Nach gedruckten und ungedruckten Quellen dargestellt. Mit 18 Tafeln altdeutscher Herz-Jesu-Bilder. Zweite Auflage (1924). *Gebunden* 11,00 Mark.

« Travail désormais classique sur la dévotion au Sacré-Cœur dans les pays de la langue allemande... L'auteur s'attache à mettre en relief que cette dévotion est comme le résultat naturel du développement historique de la piété en Allemagne ». — G. Théry O. P., *Revue des Sciences de Philosophie et Théologie* (Paris).

« Una obra que es un verdadero descubrimiento sensacional ». — Hilarión Gil S. J., *Razón y Fe* (Madrid).

« È questo senza dubbio, uno dei più importanti libri storici che siansi scritti intorno alla divozione del S. Cuore di Gesù... L'A. non scrive soltanto con mirabile erudizione, ma quel ch'è più, con amore ed unzione ». — *Civiltà Cattolica* (Roma).

Deutsche Herz-Jesu-Gebete des 14. und 15. Jahrhunderts aus Handschriften übertragen. Vierte Auflage, 13-17000 (1926). *Gebunden* 2,50 Mark.

Sumptibus Herder, Freiburg (Germaniae) opus:

Eine moderne deutsche Mystikerin. — Leben und Briefe der Schw. Emilie Schneider. Fünfte bis siebte Auflage, 9-14000 (1928). *Gebunden* 6,50 Mark.

Sumptibus Musei Lessiani, Lovanii (Belgii) opus:

Ch. Richstätter, S. J. et V. Couty, S. J.

Un âme mystique au temps présent. — Vie et lettres de Sœur ÉMILIE des Filles de la Croix de Liége. Vol. I, *Vie*: 8 fr. — Vol. II, *Lettres*: 8 fr.

« Après avoir lu ce livre, on ne sera plus tenté de voir dans les grâces mystiques le privilège d'une époque ou d'un genre de vie... La note la plus caractéristique peut-être de cette biographie, celle que le lecteur ne remarquera pas sans surprise, c'est l'extraordinaire simplicité des voies par lesquelles une âme humaine atteint ici jusqu'aux sommets de la contemplation mystique ». (François Jansen, *Avant-Propos.*)

1820
M

GTU Library
3 2400 00715 2907

44770